COLVMBA



COLVMBA ANIMAE,

PER R.[m] ET CATHOLICVM VIRVM. D. LAVRENTIVM DAVIDICVM ÆDITA, ET ſpiritualia profitentibus perutilis.

Quæ in hoc opere continentur:
De COLVMBA animæ in Deo proficientis,
De Congrua gratioris nominis electione,
De mira ſummi Pontificis dignitate.



DOMINE Prebeo tibi cor meum & paßionem tui offero filij in omnibus ſubditus Eccleſiæ: quam vt fidelem matrem veneror, & vt magiſtram ſequor in ſingulis.



TOtus noſtro ſit fixus in corde, qui totus pro nobis fuit fixus in cruce, vt in terris eo duce deguſtemus cæleſtia.

BEATISSIMO AC PIISSIMO omnium viatorum diuino iure Patri, & domino Pio.IIII. Pont. Maximo Christiq; Vicario ac Petri successori meritò colendiss. Laurentius Dauidicus æter-nam fœlicitatem peroptat.

EX quo sanctissime Pater Beatitudinis tuæ est gregem à Domino sibi creditum non minus ad Columbæ simplicitatem quam ad serpentis prudentiam indesinenter adhortari eundem ad salutis portum dirigere & verbo ac exemplo, quibus præest, proficere hoc paucis absolutum compendiolum de Columba animæ, de congrua gratioris nominis electione, & de ineffabili eiusdem dignitate suo tam fœlicissimo nomini dedicare constitui. Meæ igitur humilis obseruationis ac immensæ, qua eã prosequor, dilectionis inditiũ n. munusculũ hoc Sanctitas tua ea animi hilaritate, qua sibi per amicos porrigitur, Dauidicumq; suum sub vmbra alarum suæ celsitudinis protegendum & adiuuandum suscipiat. Quibus .n. vndiq; iniurijs obruatur, à quibus vim patiatur, quia laboret inopia & quot pro Christi fide iam tot annis elapsis labores exhauserit eam non præterit, sicut ipsum non latet se ab illa non mediocri amore complecti. Hinc ad suæ laudabilis pietatis fontem confidenter humiliterq; eius humanitate fretus sacris deosculatis pedibus confugere non erubescit. Nec aliud, cum amanti sufficiat nunciare, nisi vt in vtroq; homine bene valeat, Dei honorem sitiat, orthodoxam fidem promoueat, ecclesiæ sibi commissæ curam gerat & me sibi iugiter cõmendatum habeat pauperculumq; refoueat pro Christi gloria.

CELEBERRIMO AC PLVRIMVM REVEREN. D. IO. PETRO PORTO, IN CHRISTO AMICO CHARISSIMO.

PRESBITER LAVRENTIVS DAVIDICVS S. P. D. IN DOMINO.

DVM Nocte sanctorum omnium medium silentium tenerent omnia sopori membris traditis in somnis te mihi astare conspexi, & quibus alis pennisq; anima Columba in sacris literis nuncupata, ad suum cælestem sponsum euolet, rogantem percepi, & pluribus me tibi responsum dare visum est super illum præsertim prophetæ versiculum à te tunc mihi propositum. Quis dabit mihi pennas sicut Columbæ, & volabo, & requiescam? Experectus, dum tecum adhuc verba haberem, tali oblectatus somnio, accenso lumine, ad ea me accinxi, quæ nondum ex animo exciderant: conscribenda. Sunt autem quæ in illo simul pertractauimus: quæ sequuntur. Ea igitur benigne suscipiens, dominumque pro me oratum habens, in vtroque homine bene valeas.

Datum apud Bononiam die tertia Nouembris.
M. D. LXI.

Ego F. Angelus Auogadrus de Verona Inquisitor Generalis Status Mediolani, vidi & subscripsi.

COLVMBA ANIMÆ.



OLVMBA vtique eſt anima, quam eius ſponſus ſic in canticis alloquitur: (licet de eccleſia & hoc intelligatur) Veni COLVMBA mea, formoſa mea, ſurge propera amica mea, & veni, in foraminibus petræ & in cauernis maceriæ ſuauiter immoreris, quum extinctis inordinatis affectibus illius inardeſcit deſiderio, ei cupit placere & timet diſplicere, internum illius peroptat amplexum ipſum dulciter diligit, ei innititur, eius ſectatur veſtigia, in eius vulneribus tanquam in foraminibus petræ, & maceriæ cauernis inhabitat, vt fidelis amica eius ſitit honorem, inquirens iugiter quæ beneplacita ſunt ei. Illius pennæ ſunt deargentatæ, poſteriora dorſi eius in pallore auri conſpiciuntur, alæ eius ſunt vera humilitas, & deuotio, pedes eius ſunt caſtus amor, & ſanctus timor, qui permanent in ſæculum ſæculi, roſtrum eius eſt diſcretio, felle caret iracundiæ, dum ſeipſam poſſidet in patientia. Quis dabit ergo mihi pēnas ſicut COLVMBÆ & volabo & requieſcam? COLVMBA propter eius manſuetudinem Deo offerebatur in ſacrificium Leui. 5. Sic & nos mites & humiles corde quicquid in nobis eſt Deo offerre & reſignare debemus. COLVMBA inter grana ſibi propoſita corrupta dimittens eligit meliora, ſic & nos vt probemus an ex Deo ſint diſcernendæ à nobis

ſunt cogitationes. In foraminibus petræ libenter immoratur, & nos per ſanctam meditationem in Chriſti vulneribus habitemus, petra enim erat Chriſtus. 1. Cor. 10. Alienos pullos fouet, & nos alienos à fide, à catholica veritate, à virtutibus, à Chriſti veſtigijs, ita ſalubribus conſilijs, ſanctis adhortationibus, & laudabilibus vitæ exemplis charitatis impulſu tenemur fouere, vt ad bene beateq; viuendum alliciantur. Roſtro grana COLVMBA non lacerat, ſed ea integra comedit, ſic & nos ſacrarum literarum ſententias iuxta catholicam veritatem orthodoxamq; fidem intelligere, & proferre debemus, & non eas falſis expoſitionibus, vt ſolent heretici, dilacerare. Sic erimus pennæ deargentatæ, ideſt veri filij, & fideles Eccleſiæ, quæ eſt COLVMBA deargentata, dum ſacris refulget eloquijs, venerabilibus ſacramentis decoratur, & ſuperno lumine iugiter illuſtratur. Eius filij inter medios cleros, ideſt in medio noui teſtamenti & veteris exiſtunt, dum eorum acquieſcunt veritati. Tuta enim in nauicula Petri eſt manſio, de qua non ſine myſterio turbas docebat dominus. Extra eam vtiq; non eſt ſalus. Hinc cum Paulo ſeductis ab hereticis & fluctuantibus exclamare libet. Niſi manſeritis in naui omnes ſimul peribitis, ideſt, niſi voſmet firmiter continueritis ſub obedientia ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, paulatim defluetis. Ipſa namq; non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino primatum obtinuit. Hanc qui in terris non habet in matrem, in cœlis Deum non habebit in patrem. Demum COLVMBA iuxta aquas libenter reſidet, vt vmbram eam inſequentis accipitris conſpiciat, & ſeipſam immergit, vt tueatur, Sic & nos dum anti-

qui serpentis vexamur insidijs, super aquis sacrarum literarum simpliciter residentes, & Christi sacrorumq; doctorum doctrinæ firmiter insistentes ad diuinæ bonitatis abyssum oratione humiliter confugiamus. Pennæ COLVMBÆ nostræ inter cætera sunt solitudo laudabilis, studium sapientiæ admirabilis, paupertas amabilis, confidentia in Deum ineffabilis, sobrietas venerabilis, discretio desiderabilis, & perseuerantia coronabilis. His pennis erigitur anima, inuenit, quem diligit, accurrit in occursum eius, detinet eum, nec dimittit, donec sibi benedixerit, sub vmbra illius, quem tam diu desiderauerat, sedet, & paulatim introducitur à sponso in cellam vinariam, ibi bibit, & inebriatur eius sponsa charissima diuini amoris poculo, & vulnerata sum charitate exclamare compellitur. COLVMBA nostra dat pro cantu gemitum propria deflens peccata, prolongatum huius vitæ incolatum & passionem Domini. Quomodo enim cantabimus Canticum domini in terra aliena? In valle miseriarum? Et in peregrinatione latrunculis referta? In summa simplicitate ambulat, sine qua nemo videbit Deum, nam scriptum est. Veh duplici corde, hinc Dominus ait. Estote simplices sicut COLVMBÆ, ne scilicet cuiquã machinemini dolos, vt exponit Hieronimus, & prudentes sicut serpentes, ne aliorum supplantemini insidijs. Ad hæc quid est, quòd in Genesi dominus ter emisit COLVMBAM, primo reuersa est non inueniens vbi requiesceret pes eius, secundo portans ramum Oliuæ ad arcam redijt, & tertio non est reuersa, nisi quòd vitæ actiuæ, contemplatiuæ, & mistæ nobis formam innuit? Non sine mysterio requirebantur duo

pulli COLVMBARVM, vt habetur in Leuit. & apud Lucam in oblatione paruulorum, legitur de sponsa in Canticis, oculi tui COLVMBARVM. & alibi, aperi mihi soror mea, COLVMBA mea. Non ab re quoque COLVMBAE ascribitur meditatio, hinc Esaias cap. 38. meditabor vt COLVMBA & 59. quasi COLVMBAE meditantes. Quid innuit, quod idem scribit cap. 60. Quasi COLVMBAE ad fenestras, nisi quòd anima per sensuum fenestras in his visibilibus suum intuetur, audit, odorat, palpat, & degustat dilectum? Quid nobis affert, quod Ezechiel describit c. 7. Erunt in montibus quasi COLVMBAE conuallium, nisi quòd animae Deum amantes postquam suam vera humilitate attigerunt nihilitatem, infirmitatem, & defectibilitatem, virtutum montem sanctae contemplationis alis facilius peruolant, spiritalem altitudinem consequuntur & se erigunt ad coelestia? Quid nobis praefigurat, quod Oseas cap. 7. scriptum reliquit. Effraim quasi COLVMBA sedit, & cap. 11. Auolabo quasi COLVMBA, nisi quòd anima vera sui sponsi imitatrix in eo prudens efficitur, & inuisibilem ad eum acquirit volatum? Quid est, quòd Dominus cathedras euertit vendentium COLVMBAS, nisi quod in sacris Canonibus simoniacos insequitur, in sacris literis Christianae simplicitatis peruersores detestatur, & spiritualia cum temporalibus commutantes grauiter punit? Quid est quod Ioannes vidit spiritum Dei descendentem quasi COLVMBAM Mat. 3. Mar. 1. Lu. 3. & Ioan. 1. nisi quia super simplices, mites, humiles, castos, & innocentes dona Dei descendunt ab ipso patre luminum? O felices hominum mentes, in quibus venerabilis refulget simplicitas, conscientiae rutilat serenitas, & can-

dor

dor puritatis elucescit. Venite & laudemus in domino COLVMBAM feruentis animæ sibi peroptantis pennas volatum, & requiem. Venite & intueamur animam suauiter cupientem dissolui & esse cum Christo. Venite adoremus ipsum Regem regum, cuius Sponsa relicto corporis ergastulo ab eodem decoratur, & per angelos coronatur in cœlesti patria. Venite & meditemur, quantum Domino placeat simplicitas, innocentia, quantumue displiceat humana malicia. Venite & honoremus Dominum, qui dat pennas animæ, vt volet & requiescat in suaui silentio. O dulcis hospes animæ, ò dulce refrigerium des mihi pennas sicut COLVMBÆ & ad te volabo, & in te requiescam in lucida caligine & caliginoso lumine, in raptu mentis, & in excessu animæ. Volabo per actiuam humilem, requiescam per contemplatiuam nobilem, & psallam tibi in mista perpetua. Ad per te requisitum euolatum quàm perutilis sit solitudo, haud facile dixerim. Hinc Arsenius vt homines fugeret, vt secessum peteret, vt in desertum se reciperet, diuinitus admonitus est, & sic illud propheticum, quod sequitur concinit. Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine, quam omnes sancti nobis consulunt, quia in silentio & spe erit fortitudo nostra & in solitudine sæpius degustatur, quam dulcis & suauis sit Dominus in Cruce, & Crux in Domino. Homo ibi rarius cadit, citius resurgit, spiritus roboratur, cor a terrenis auellitur, mens facilius eleuatur, affectus in Deum accenditur, intellectus cœlitus illustratur, & anima seipsam seruat immaculatam ab hoc sæculo, Deo inhæret, eius miratur pulchritudinem, eius fruitur colloquio. Solitudo præterita deflet

peccata, eadem iterare non audet, quia irrisor Dei est non pœnitens, qui iterum agit, cuius eum pœniteat. Solitudo cordis puritatem inserit, conscientiæ serenitatem parit, voluptates abscindit noxias, carnis amputat illecebras, terrena transcendit, cœlestibus inhiat, hominem prudentiorem in dies magisq; pium efficit, & Deo ineffabiliter coniungit quodam spiritali connubio. In solitudinibus Deus hominibus innotescit, Moysen & Helyam alloquitur, cōpluribus apparuit, superna dona concessit Ioannes Baptista nutu Dei antra deserti teneris sub annis ciuium turmas fugiens petiuit. Ne leui saltem maculare vitam famine posset. In solitudine illi nascuntur lapides, quibus magni Regis ciuitas construitur. Hinc meritò mater nostra canit Ecclesia. Tunsionibus pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis per manum artificis, disponuntur permansuri sacris ædificijs, & virtute meritorum illuc introducitur omnis, qui ob Christi nomen hic in mundo premitur. Lætemur & nos tribulis vndiq; confecti in his quæ dicta sunt nobis, quia per ipsum in domum domini ibimus. Quid venatur homo in sæculo, qui maior est mundo? Cor enim fidelis animæ illum continet, quem totus non capit orbis. Ego nunquam minus solus sum quam quum solus sum, mecum enim tunc aliqua semper spiritalis est meditatio, mecum sunt libri sacri, mecum feruens oratio, mecum Deus est, mecum crucis memoria. Eia agè, rumpe moras, in solitudine saltem tui interioris hominis Deum perquitas. Nec quæras extra te, quod in te ipso reperies, ibi enim latet, quem diligit anima tua. Quis dabit ergo mihi pennas sicut COLVMBÆ & volabo & requiescam? In

eo ſcilicet, qui meritò diligitur, ſine faſtidio conſpicitur, in pace interna ſine timore poſſidetur, & bonis exuberat vniuerſis. In externis nulla eſt pax, ſed innumeræ curæ, noxiæ perturbationes, ſollicitudines anxiæ. Apud Deum nulla eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, quia in æternum permanet, & quia eſt bonum incommutabile, ſummum & ſempiternum, ſine quo nihil eſt bonum. Delicata autem eſt diuina gratia, quæ non datur admittentibus alienam, hinc ait Propheta. Renuit conſolari anima mea, ſcilicet in his inferioribus, deguſtatio illius ſummi boni Domine mi colendiſſime famem internam excitat, fames delectationem affert, delectatio ſacietatem, ſacietas fruitionem, fruitio pacem, que exuberat omnem ſenſum. Pax ergo multa diligentibus legem domini, quia veniunt omnia bona pariter cum illa. Pennis noſtræ COLVMBÆ deargentatis ſpiritualis volatus agitur, quo ad veram ſanctæ contemplationis requiem, ad delectabilemq; Dei guſtum pertingitur, & ibi ipſius viſibilis ſititur præſentia. Nam in illum anima erumpit verſiculum. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, qui tam ardenter clamabat in tēplo. Omnes ſitientes venite ad aquas, & ad mulierem de Samaria dixit. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hæc ſitis eſt volatus COLVMBÆ non externus ſed internus, non corporalis, ſed ſpiritalis, non viſibilis, ſed ſoli Deo cognitus, non ſonorus, ſed decorus, & plenus dulcedine. Sitis hæc ita animam renouat, quòd tranſit de claritate in claritatem, de interna morte ad vitam, dum percurrit Chriſti veſtigia, de feruore in feruo-

rem, de lumine in lumen, & de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Syon. Et dum nostra COLVMBA contemplando inuisibile nobis cœlum peruolat, feruenter clamare non desinit. Domine mi quid es tu? & quid sum ego? Sanctus, sanctus, sanctus dominus exercituum, & eo ardentius clamat, quo sibi sponsus clarius elucescit, dulcius sentitur, & suauius innotescit. Tunc ipsa quærit vt inueniat, concupiscit vt teneat, diligit vt crescat, ascendit quantum potest, vt flammescat, & eleuatur, vt quiescat, inde clamat. En dilectus meus mihi? inueni quem diligebam. En quam dulciter loquitur mihi? leua eius sub capite meo & dextera illius amplexabitur me, osculabitur me osculo oris sui. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur, vulnerata sum charitate, vulnerauit cor meum in vno oculorum suorum. En amore langueo, fulcite me floribus, stipate me malis. Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus, speciosus forma præ filijs hominum. Sub vmbra illius, quem desyderaueram: sedeo, fructus eius est dulcis gutturi meo, dilectus meus mihi, & ego illi, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Trahe me post te, vt curram in odorem vnguentorum tuorum, introduc me in cellam vinariam, hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Qui hunc spiritalis COLVMBÆ volatum appetit, intentionem suam in Deum dirigat, ne quod foris ostenditur: intus à mercede euacuetur. Sit laudabilis in moribus. Vigil in mente, sui cordis custos diligens, cogitationes colligat, spiritualia studia sectetur, Deum concupiscat, humili corde diligat, sincera fidelitate sequatur,

in cœlestibus mente iugiter immoretur, diuino inardescat amore, feruenter oret, libenter meditetur, cœlestis sponsi appetat contubernium, non inflетur ex donis, non tepescat sibi placens, neminem iudicet, ne amittat donum quo refulget, seipsum potius quam alios obseruet, exploret, discutiat, inspiciat, ne iacturam patiatur interius, dum per exteriora diffunditur, seorsum ab hominibus pro posse se recipiat, ne aliqua terrena colluuione fœdetur. Hinc tibi Petre in Christo amabilissime gratias ago, habeboq; etsi referre nequeam de tam grandi munere, quòd per te quandam solitudinem feliciter incolo, perfice, quod cœpisti, ne derelinquas me in senectute & senio, tibi derelictus est pauper, vt ei sis adiutor in tribulationibus suis, det tibi Dominus pro terrenis cœlestia, pro momentaneis æterna & pro defluentibus immortalia. Solitudo vtiq; est portus animę, delictorum fuga, nutrix orationis, cœli ianua, vena compunctionis, meditationis incendium, sacrarum lectionum poculum, & contemplationis auxilium, manuductio spiritus, mentis pabulum, & serenitas conscientiæ. In locali solitudine spiritalem nutrio, pectus roboro interioris hominis, spiritum excito, cor ipsum sæpius percurro & mentem facilius eleuo, & quid mihi cum hominibus? qui solum dominum concupisco, quem illius gratia inhianti sector affectu, intellectu conspicio, amplector desiderio? Diuino irradiati splendore, turbarum, si possunt: declinant strepitus, peccatorum materias, noxiarum cogitationum sentinam, & illecebras sæculi. In mundo renuunt consolari, vt Christo viuant, secessum petunt, solitudinibus vitam degunt. O ter quaterq; beati, quibus ita Deus

innotuit, vt humili abiecta penitus mundi sarcina, in eius prouidentiam, in vernantibus desertis semper fulgeāt confidentia, eiq; propinquiores fiunt amoris vinculo. Neminem spiritualium præterit, quam abundè dominus in solitudinibus degentibus se communicet, non in regalibus ædibus, sed vbi hominibus deerat accessus, diuinam Moyses allocutionem, futurorum notitiam, ducatum populi, diuina præcepta, ceremoniarum scientiam, & Dei familiaritatem promeruit. In solitudine populus cœlesti alimento pascitur, cibaria misit eis dominus in abundantia, & ibi consecutus est quod non habuit in Aegypto. Helyas in solitudine positus corui vnius est sustentatus obsequio. In heremo insuper erat, quando vehiculo igneo eum dominus tulit de sæculo, vt discatur solitudinis beneficium, & quòd de ea transitur ad cœlum. Felix, qui pro Deo simpliciter se hominum subducit aspectibus, quia ex hoc plurima euitantur mala, immensa prouenunt beneficia, & laudabilium operum suorum splendore sæculi huius noctem irradiat dominus Iesus, exhortationis verbo & promisso remunerationis premio præsens sæculum docuit esse spernendum, totum enim in maligno positum esse conspicitur, & varijs vitiorum laqueis refertum, ideo nullam dignatus est habere substantiam, ita quòd non habuit, vbi reclinaret caput suum, & tamen ipsius est terra & plenitudo eius. (Ex eo victui tantum necessaria sunt haurienda) orbis terrarū & vniuersi, qui habitant in eo. Vocatus ad regnum fugam arripuit, vocatus & quæsitus ad crucem se obtulit. Hunc sequantur omnibus pauperiorem & ditiorem, (nam simul in vnum diues & pauper) qui volunt diuites fieri, qui diu

viuere

viuere appetunt, qui mansuras dignitates peroptant, & diligunt dies videre bonos. Qui labentis temporis momentaneam spernit felicitatem æternis ditatur diuitijs, & est in Deo diues. Omne quod est in mundo: aut est concupiscentia oculorum, carnisq́ue, aut superbia vitæ. Eius iugiter figura præterit, nil stabile sub sole reperitur. Quũ radicem arboris consideras, tota deformis & contemptibilis esse videtur, & tamen ex ea foliorum amœnitas, florum suauitas, & fructuum dulcedo prodeunt, sic vita seruorum Dei à terrenis vt inutilis & infructuosa despicitur, & tamen in eis virtutum flores ac fructus tanquam in tot viridarijs reperiuntur, in eis verè sunt consolationes, dulcia cum Deo habent colloquia, gustant cœlestia, spiritualia possident, quæ non capiunt, qui volunt hìc ventrem, & ibi mentem pascere, quia delicata est diuina gratia, & non datur admittentibus alienam. In solitudine Deus homines instruit certantes in occulto, vt dæmonum fraudes agnoscant, dat robur vt vincant, hortatur vt dimicent, suadet vt fortiter reluctando triumphent, & pugnantibus propositam reuelat coronam. Hinc Ambrosius Doctor irrefragabilis ait. Corona proposita est, subeunda sunt certamina. Super omnia semper discretionis præ manibus est habenda censura, peruigil est habenda custodia, & diligenter cauendum est, ne in præsentis vitæ triuio aberretur, discretis ieiunijs est insistendum, orationibus vacandum, vigilijs inseruiendum, & assiduè se in diuinis laudibus occupandum. Viuentes in corpore animo conuersari debemus in cœlis, sic profectus augetur & gratia. Cauendum quoq; est o frater, ne otio tabescas, ne interna insensibilitate labores, ne

tepescas accidia, ne propriæ confidentiæ ac inani gloriæ aures adhibeas, ne operi manuum nimium desudans euanescas in spiritu laudabiliter indultum transigas tempus. Te inflāmet charitas, dirigat obedientia, exerceat patientia, instruat oratio, consilio fulciat discretio, muniat spes, firmet fides, custodiat humilitas, ne abutaris tempore tibi credito, quo nil habes pretiosius, excellentius, amabilius, & fructuosius, & tamen à multis nil habetur vilius, nil tractatur inutilius, & nil indignius possidetur. Temporalia à nobis sunt aliena, tempus tantum nostrum est, eo tamen si vtimur ad salutem, illud .n. ad deflendum errata, ad penitentiam agendum, ad promerendum indulgentiam, ad virtutes acquirendum, ad cumulandum merita, ad gloriam æternam consequendam diuina nobis contulit clementia, fructuosa igitur exercitatione dispensanda sunt tempora, quæ more labentis aquæ elabuntur, prætereunt, defluunt. Euangelicæ ergo perfectionis montem conscendamus, virtutes indesinenter pertractemus, adiuuemus nosmet, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, spirituali studeamus profectui, quia quamprimum hinc migrandum erit & latet vnus dies, vt omnes obseruentur dies. Non deijciatur animus, quum nos aggreditur diabolus, cuius tētationes nobis sunt occasio exercendæ virtutis. Tumorem superbiæ humilitate euacuemus, æstum auaritiæ amore paupertatis extinguamus, torporē ab anima laudabili exercitatione repellamus immunditiæ maculas pudicitiæ candore diluamus, liuorem sedulò superemus charitatis obsequio, & vitia omnia sibi contrarijs virtutibus suppeditemus. Sic postea COLVMBA animæ suis pennis deargentatis volat vt re-

quiescat

quiescat. Quilibet secum habitare studeat, seipsum perfectè cognoscere & vincere conetur, sensuum vitet illecebras, passiones pro Christo sustinens, illas delicias arbitretur, in eo diu noctuq; meditetur, se exerceat, delectetur, & dabit sibi petitiones cordis sui, mundũ ac seipsum spernat, nullum spernat, & sperni sibi dulcescat, cordis foueat munditiam, quæ hominem spirituali replet lumine & cognitione cœlestium, & feruenti oratione ad Deum sæpe confugiat, quia sic inde COLVMBA animæ volat & requiescit in Domino Deo suo. O dulcissime Iesu pastor bone lumen angelorum, verum sanctorum gaudium, naufragantium salus, peregrinantium via, diligentium amor, afflictorum solatium, dulcedo quiescentium, declina in habitaculũ serui tui te humiliter inuocantis. Mane mecum Domine, quia aduesperascit & inclinata est iam dies. O tu, qui disponis omnia suauiter: ne derelinquas me domine Deus meus, des mihi pennas sicut COLVMBÆ, & volabo & requiescã, spiritualia dona sub humilitatis pallio sunt seruanda, ne ab antiquo serpente diripiãtur, qui iter obsidet, quo properamus ad patriam. Rogandus est dominus, vt inter cętera discretionem spirituum nobis largiatur, sine qua spiritalis vbiq; imminet ruina, in hoc multum conferet discreti alicuius duci iudicio, seipsum suspectum habere, iugiter in humili timore persistere, suas alicui cogitationes detegere, & conscientiæ puritatem diligere, iuxta illud, Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Conscientia.n.munda domus est altissimi, ipso dicente, inhabitabo in eis & inambulabo. Totus quilibet ad se redeat, ad errata diluenda lachrymarum profluat imber,

secessum quærat, hominum fugiat pro posse consortia, cum Deo solo sua interna pertractet negocia, ei se humiliter familiarem reddat, omnibus velit prodesse, nemini nocere, nulli detrahat, præsertim surdo.i.absenti, sed singulos dulci complectatur dilectionis affectu, nolit per sensuum deuia defluere, in vanis coinquinari, foris vagari, aliena curiosius intueri, & affectu immoderato visibilibus inhærere, sed totũ se donet altissimo, quia sic COLVMBA animæ volabit & requiescet. Sed quid dicam de studio admirabilis sapientiæ, quæ erigit hominem supra se, vere nobilitat & ditat? Sed quid ego tantillus in eius laudibus repertam? quum eam digne laudare non sufficiam, Studium est vehemens animi applicatio ad aliquid peragendum. Studium sapientiæ in Sacris lectionibus hominem detinet, in fructuosis vtilibusq; meditationibus occupat, orationibus tradit & sanctæ contemplationi dedicat, sine quibus solitudo non meretur, à belluis rationale animal vix distinguitur. Solitarius mollis efficitur, in perniciem insensibilitatis incidit, ab accidiæ tinea demolitur, tepiditatem induit, seipsum quærit, à dæmonibus diripitur, nec Dei, nec mundi esse conuincitur. Studio autem vacans sapientiæ perhæc visibilia in inuisibilium amorem rapitur, Dei mirabilem potentiam, bonitatem & sapientiam intuetur, vtili quodam stupore in mentis obruitur excessu, in eo iubilat, inardescit feruet, exultat, & gaudet, diuinum orando promeretur auxilium, terret diabolum, mundum spernit, imponit carni, Deum verè colit, angelos lætificat. Hoc veræ sapientiæ studium de terrenis ad cœlestia eleuat, inquirit superna, diuino amore succendit, inuisibilia concupiscit. Omne aurum

(inquit

(inquit sapiens) in comparatione illius est arena exigua, omnia bona veniunt pariter cum illa, inæstimabilis est thesaurus eius, quo qui vsi fuerint: participes fieri amicitiæ Dei non ambigimus. Huius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, hanc qui inuenit, inueniet vitam & hauriet salutem à domino. Solitarius qui literas ignorat, ne torpore torqueatur hunc perutilem librum creaturarum visibilium mundialis .s. machinæ perlegat, in libro sui interioris hominis operam nauet, librum vitæ, qui Christus est: semper præ manibus habeat, in eo meditetur die ac nocte, cogitet, quæ passus sit pro nobis, relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, vt portet in memoria Christi coronam spineam, dolores, & opprobria, crucem, clauos, & lanceam, & plagas sacratissimas omni laude dignissimas, acetum, fel, & arundinem illam mortem turpissimam, vt eum hæc inebrient dulciter & suauiter, vt eum intus roborent virtutibus & repleant hic gloriosis fructibus, vt parent illi gaudia æterna ac cœlestia. Ad hæc profundè cogitet peccata, quæ ante conuersionem suam perpetrauit: corde, verbo, & opere, quàm negligens post conuersionem in Dei exstiterit obsequio, quantum in virtutibus profecerit, vel potius defecerit, quòd cum præterit ex inscrutabilibus Dei iudicijs odio an amore dignus sit, quod multa in ipsius corde eum latent, quæ Deo patent, quod incertus est de perseuerantia, quæ sola coronatur, & hæc torporem excutient. Meditetur quod mors vna mille modis miseros rapit, vt fur repentinè, & nemini parcit, & in statu esse renuat.s.tepiditatis, in quo vitam nollet commutare cum morte, Quàm grauiter se habebit in illa grauissima in-

firmitate, quæ animam segregabit à corpore, & naturalem inclinationem hîc adhuc permanere peroptantem, quæ quantum excruciet, suum sit iudicium. Meditetur in quam tunc multifariam multisq; modis reclamantem conscientiã, horulam etiam sibi denegatam, somnium, vitam prçteritã tunc sibi apparentẽ, nigrescens tunc ac rigescens corpus, & dæmones rugientes ac paratos ad escam. Meditetur, quòd vix egressum de corpore ante tribunal districtissimi iudicis astare se oporteat, quòd sibi latere erit impossibile, apparere intolerabile, quòd irreuocabilis sententia proferetur, quòd traditus sepulturæ erit in perpetua obliuione tanquam mortuus a corde, & quòd post hominem vermis, post vermem fœtor & horror sic in non hominem vertitur omnis homo, & hoc sibi torporem excutiet. Meditetur iudicij diem signa horribilia præcedentia per Hieron. descripta & ab eodem reperta in historijs Hebreorum. Nam omisso, quòd Sol obscurabitur, quòd luna non dabit splendorem suum, quòd virtutes cœlorum mouebuntur, testante id Euangelio eriget se mare prima die ex quindecim nouissimis quindecim cubitis super altiores montes stans ibi quasi murus immobilis, secunda, ita se deprimet, quòd vix conspici poterit, tertia, marina vsq; ad cœlum terribiles mugitus emittent, quarta, ardebit mare, quinta herbæ & arbores sanguineo rore perfundentur, sexta, corruent ædificia, septima, petræ inuicem collidentur, octaua, generalis terremotus terram ineffabiliter concutiet, nona æquabitur terra, & montes in puluerem redigentur, decima, homines de cauernis exibunt, & velut amentes discurrent, nec se mutuò alloqui poterunt, vndecima surgent de sepulchris ossa mor-

tuorum

tuorum, & super ea immorabuntur, duodecima, stellæ cadent de cœlo, decimatertia, morientur tunc viuentes, vt cum mortuis resurgant, decima quarta ardebit cœlum & terra, decimaquinta, erit cœlum nouum & terra noua, & resurgent mortui, & cuilibet reddetur iuxta opera sua, liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur, nil inultum remanebit, quicquid latet apparebit. Tunc patebit liber dominicæ passionis, vitæ nostræ & conscientiæ, de minimis cogitationibus, de verbis ociosis, de infructuosis operationibus, exigetur ratio. Tunc superius erit iudex iratus, inferius horrendum & patens chaos inferni, à dextris peccata accusantia, à sinistris dæmonia ad supplicium pertrahentia, intus vrens conscientia, foris mundus ardens, miser peccator sic deprehensus quò fugiet? Quantus terror est futurus, quando iudex est venturus, cuncta strictè discussurus. Testes contra nos erunt peccata nostra, totus mundus, propria conscientia, & dæmones, iudex iustus potens & inflexibilis, sententia iustissima & irreuocabilis, executores angeli separantes malos de medio iustorum, & hæc meditatio torporem excutiet. Felices, qui audient sibi dictum. Venite benedicti patris mei, possidete vobis regnum paratum à constitutione mundi, & infelices, qui audient. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Cogitet solitarius puteum inferni profundissimum, ignitum, horribilissimum, de quo Dauid, non vrgeat super me puteus os suum, ibi sunt caliginosæ & inextinguibiles flammæ succensæ, ibi pœnæ sunt diuersæ indeficiẽtes, inutiles, acerbæ, & inæstimabiles, fœtor intolerabilis, fletus incomprehensibilis,

ſtridor dentium, tenebræ palpabiles, minus inferni tormentum omnia huius ſæculi excedit ſupplicia. Ignis ibi ardebit carnem, vermis conſcientiæ mentem conficiet vermis non morietur, nec ignis extinguetur. Iſa. vlt. Peccatores tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium. Iob. 24. Ignis ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum, quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius, Ps. 10. maxima fame ac ſiti conficientur, memoria bonorum temporalium, temporis acceptabilis amiſsionis, & æternæ electorum felicitatis illos torquebit, indeſinēter percutient dæmones. innodabunt vincula, comitabuntur ſuſpiria, & hoc torporem excutiet. Meditetur tot ſibi collata beneficia ab eo, qui bonorum noſtrorum non indiget, quanta ſit illi cura de nobis, qua vt nobis inſeruiant reliqua creauit, quanta veros pœnitentes ſuſcipiat clementia, quàm ſuauiter ſuo corpore ac ſanguine nos reficiat, quot bonis nos inſpirationibus foueat, quàm paternè à nobis dæmonum irruptiones arceat, quàm inſtanter nos ad cœleſtia inuitet, quàm dulciter pro nobis in cruce moritur, quantum illi debeat quilibet, ac ſi prò eo ſolo mundum creaſſet, carnem aſſumpſiſſet, & crucem pertuliſſet, à quot nos præſeruat ſceleribus, periculis protegit, & quot ad ſe compellat amoris inſignijs, quàm multa, quàm magna, quàm vtilia, quàm bona ſunt eius dona, munera, & beneficia, quòd non pecus ſed animal rationale te condidit, immortali anima decorauit, fide dotauit, æternæ felicitatis capacem reddidit. Voluntatem liberam conceſsit, te adoptauit in filium, ſpiritus ſancti aduentu deſponſauit, non minus pro te o ſolitari quàm pro ceteris locutus eſt, quum

patribus

patribus apparuit in figuris, innotuit in prophetis, & tam diram mortem subijt, & hoc torporem excutiet. Ad montem quæso Caluarium mens tua se conferat, vt meditetur eum, qui pro te patitur: quia est filius Dei, principium & finis, omnium visibilium & inuisibilium, verus saluator mundi, & futurus iudex omnium, dedit.n. ei pater omne iudicium facere. Qualis est, qui patitur, quia innocens, & peccatum non fecit, nec dolus est inuentus in ore eius, & quantus, quia æternus existens moritur, potens infirmari, sapiens nescire, & optimus malefactor esse reputatur. Cur patitur, quia patitur vt te redimat, illuminet, iustificet, sanctificet, & glorificet. Quali forma patitur, quia prudenter respectu antiqui serpentis, obedienter respectu sui cœlestis patris, crudeliter respectu sui corporis vndiq; contriti, & libenter respectu nostræ redemptionis, & quanta passus est, quia dura verba, & duriora verbera & durissima crucis supplicia. Si totum te illi debes pro te facto, quid addes pro te refecto? neq;.n.tam facile refectus es, quàm factus. In omnium creatione dixit & facta sunt, in hominis reparatione, contumelias verbera, irrisiones & tot dolores sustinuit, quòd bene potuit dicere. Ouos omnes, qui transitis per viam crucis: attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus, Totum ergo sibi calix ille nostrum vendicat amorem, & torporem excutit. Meditare insuper frater mi, quæ & quanta præparauit diligentibus se non torpentibus, probatio autem dilectionis exhibitio est operis, ergo operantibus. Quanta sit supernæ patriæ beatitudo, beata felicitas, felix tranquillitas, tranquilla immortalitas, immortalis æternitas, æterna Dei visio,

comprehensio, dilectio, & fruitio quàm speciosæ dotes animæ, quàm amabiles dotes corporis, quàm desiderabilia Cœli gaudia, quàm dulcis sit Christi in vtraq; natura contemplatio, quàm suauis sanctorum omnium societas, & quam iocunda illa bonorum omnium aggregatio, & hoc torporem excutiet. Si vis talia tantaq; bona mente degustare te, in teipsum recipias, tecum habita, te creaturarum formis imaginibusq; exuas, te ipsum discutias, te ipsum obliuiscere, perdas, mortifices, deprimas, suspectum habeas, iugiter dijudices, examines, inspicias, defleas, agnoscas, possideas, immaculatum custodias ab hoc sæculo, feruens, assiduus, cautus humilis, & fidelis sis in oratione, mundus in cogitatione, sobrius in locutione, accensus in operatione, discretus in singulis. Ad Dei laudes te diu noctuq; excites, tibimet vsq; ad mortem vim inferas, & cogita, quantum proficias, vel deficias in via Dei quantum crescas vel decrescas in virtutibus, quantum distes à Deo, percurras Christi vestigia, & gloriosos sanctos imiteris, qualis sis in moribus, verbis, & affectibus, quantum te ipsum odio prosequaris, Deum ac proximum diligas, peccata detesteris, summam perfectionem sitias, melioribus laudabiliter inuideas, deuotior fias, & cum timore ac tremore salutem tuam opereris. Quantum te à terrenis abstrahere, ad æterna erigere, ab occultis emundare, & à diabolicis incursionibus custodire studeas, & hæc meditatio torporem excutiet. Ne in solitudine Deum perdas, tempus amittas, animam insensibilitatis captiuam reddas, spiritum illaquees, & paulatim ad æterna te deuoluas supplicia ab admirabilis studio distans sapientiæ. Sed tempus exigit,

vt ad reliqua me accingam, vt COLVMBA nostra ad cœlestia euolet in pennis deargentatis, in pallore auri, & ad arcam Noe cum ramo oliuæ redeat, vnde exiuit. i. ad crucem Domini, in qua verus Noę requiescit, ei per veram reconciliata penitentiam deficientibus aquis diluuij. i. veteris hominis concupiscentijs, peccatorum radicibus & inordinatis affectibus, quæ omnia sunt diluuium aquarum multarum. Penna perutilis ad spiritualem volatum est sancta paupertas, quæ debet esse talis & tanta, vt corpus in nullo suis abutatur sensibus, mens vanis non defluat cogitatibus, fantasijs, imaginibus, terrenisq; inordinato non innitatur affectu, & spiritus solum Deum velit, amet, possideat. Nuda heremus nudos exquirit cultores, qui vera nuditate decorati Christum nudum intueantur, diligant imitentur non sit terrenorum mancipium, qui cœlestia appetit, ne suum aliquid euolatum impediat, cursum detineat, extinguat desiderium. Hinc Paulus terrena omnia arbitratus est vt stercora, quo Christum lucri faceret, in eumq; omnem suum cogitatum reponeret. Si sæcularis philosophiæ professores omnia hæc despiciebant, vt illam facilius consequerentur. Hinc quidam eorum de suis possessionibus protulit. Nisi hæ perijssent, ego non essem. Et Crates ille Thebanus magnũ auri pondus proiecit in mare, vt philosophiæ operã nauaret, quid in hoc agere tenentur spiritualis Philosophiæ professores, qui se Christi imitatores asserunt? nudi. n. cum nudis luctari debent dæmonibus. Nihil profecto tulimus in hunc mundum, nec hinc auferre quid possumus. Excellentia paupertatis in hoc elucescit, quòd Dominus ait, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum

est regnum cœlorum, quoniam ipsi possidebunt terram viuentium, quoniam ipsi salutem consequentur, & quoniam ipsi summo bono æternaliter perfruentur. Certè, qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, qui se-ipsum plenè non resignauerit, qui totum mundum non contempserit, vt ab omni sollicitudine absolutus Christum pauperem sequatur, cum Christo egeat, & Christo in vera nuditate conformis existat: illius non potest esse discipulus. Sancta paupertate cœlum emitur, virtus innotescit, dos agilitatis acquiritur, quia ea altius cæteris euolamus, cum angelicis spiritibus nostra est conuersatio, vera humilitas custoditur, charitas ostenditur, & fides indicatur. Amplectamur ergo hāc animarum ducem, hāc virtutum conseruatricem, hanc oppugnatricem dæmonum, hanc vitiorum eliminatricem, hanc carnalium cogitationum mortificatricem, hanc meritorum operatricem, hanc Dei dilectam, sanctorum sociam, & angelorum domesticam, & beatis illius pedibus prouoluamur eam humiliter obsecrantes, vt nos suscipiat in filios, quia aliter ferè salui esse non possumus. Teneamus eam, nec dimittamus, nisi libenter nobiscum manere dignetur. Penna quoq; ad volatum perutilis est humilis in Deum confidentia, quæ propulsat pusillanimitatem, quam in paupertate diabolus suggerit, vt à Christi nos retrahat vestigiis, vt ab incœptis nos desistere compellat, vt è tutissimo paupertatis gremio euolemus, vt in viam Dei, carnali potius quam spiritali ducamur prudentia: vt nobis nostris viribus cōsulere videamur. Sine hac laudabili confidentia nos nobis placemus, de nobis nimium præsumimus, in Christo philosophari non possumus. Si pauper

&

& mendicus es pro Domino, ipse sollicitus est tui, de cibo inquit Hiero. cogitas? Sed vera fides famem, non timet, esuriem non metuit, penuriam pati non veretur, Accedentem ad Deum oportet credere, quòd velit, quòd possit, quòd sciat tibi consulere. Si christianus es credas euangelio, quòd quærenti regnum Dei, & iustitiam eius nil defuturum promittit, si pater cœlestis tantam curam gerit auium, quæ nec serunt, nec metunt, nec congregant in horrea, & tamen pascit ea, cur arbitraris eum suis veris amicis, seruis fidelibus, & sanctis filij sui imitatoribus defuturum? Quomodo poterit non ministrare terrena, qui tribuit cœlestia? Paupertas spiritus est, cum spirituali intẽtione voluntaria abdicatio, vera cordis humilitas, perfecta sui, mundiq; renuntiatio, plena propriæ voluntatis & curæ resignatio, & externi interniq; hominis Deo dedicatio. Hæc sancta paupertas veram affert suo amatori tranquillitatem, est veræ in Deum nutrix confidentiæ, est veræ quietis fundamentum, orationis vigor perfectionis porta, & manuductrix ad cœlum. Hæc suum tutum efficit possessorem, dum calcat omnia, omnium dominus efficitur, iuxta illud. Omnem locum, quem calcauerit pes tuus, dabo tibi. Facilè cõtemnit omnia qui semper se cogitat moriturum. Hæc expeditum ad spiritualem cursum reddit, vt accurrat ad brauium, illudq; consequatur, est virtutis magistra radices abscindit peccatorum, ad contemplationem erigit, & mentis in Deo vnionem parit, hanc in seipso nascens nos edocuit Dei filius. In stabulo & alieno nascitur, vilibus pãnis inuoluitur, in præsepio reclinatur, pauperrimam vitam duxit, nudus crucem conscendit, & in alieno sepulcro re-

condi voluit, felix qui ſanctam ſibi paupertatem deſponſauit, quia libertate ſpiritus decoratur, & adhærens Deo, vnus ſpiritus fit cum eo, qui ſpiritus eſt. Et eos qui eum adorant: in ſpiritu & veritate oportet adorare, quod ſolus facit hac ſancta paupertate refulgens. Magnum paupertatis priuilegium, ex quo eam tanti fecit filius Dei, quòd de paupere matre in pauperculo ſtabulo naſci voluit, quòd pauperes piſcatores ſibi elegit in ſocios, quòd nudus lignum crucis conſcendit, nec habere voluit in quo reclinaret caput ſuum, quòd ſemper illis magis in donis gratuitis fauet, qui pro illius amore paupertatē ipſam maiori dilectione proſequuntur. Decora penna eſt in victu ſobrietas, ne grauetur mens in crapula & ebrietate, ne ſpiritus euaneſcat, ne caro impinguata & dilatata diuinæ legi reluctetur, ne animus diſtrahatur, ne cor diſſipetur. Delicata eſt diuina gratia, quæ non datur admittentibus alienam. Impoſſibile eſt, de delitiis ad delitias tranſire, hìc implere ventrem ibi mentem, & duobus dominis ſeruire. Tam diu Deum ipſum odio habere conuinceris, quam diu inordinatè te ipſum diligis, te ipſum quæris, & creaturis inniteris, anguſta eſt porta, arcta eſt via, quæ ducit ad vitam. Sicut à gulæ delicijs in captiuitatem redactus, ſubuerſionem ſenſus, cœcitatem mentis, turbationem capitis, procellam corporis, & animæ grauamen incurrit, confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, & facile deſpumat in libidinem, quæ eſt dedecus vitæ, ignominioſus languor, & honeſtatis infamia, ſic à diſcreta ſobrietate omnia bona proueniunt, nam multiplicis eſt mors culpæ, ſanitas corporis, radix gratiæ, & vitæ diuturnitas.

tas. Ex hac caste cogitationes proueniunt, rationabiles voluntates, salubria consilia, & virtutes omnes prodeũt, quibus spiritus innouatur, ditescit, illustratur. Hæc spiritualem iocunditatem parat, orationem roborat, spiritum ædificat, cor purificat, mentem eleuat, & multipliciter impugnat diabolum. Qui Christi ergo sunt, carnem suam crucifigant cum vitijs & concupiscentijs suis, carnis curam non faciant in desiderijs, & configat timor carnes suas vt cum sobria Iudith obtruncare valeat Holofernem. Abstinentia vitia comprimit, mentem eleuat, virtutem largitur & premia. Si ieiuni hominis sputum serpentem illud degustantem interimit, quanto magis spiritualem serpentem interficiet ieiunij virtus & abstinentiæ? Ad paradisi gaudia resurgimus per abstinentiam, à quibus per vetitum cibum cecidimus. Hæc purgat mentem, sensum subleuat, spiritui carnem subijcit, & reddit cor contritum & humiliatum, quod Deus non despiciet. Sancti ieiunijs, & lachrimis incubuere, quoties aliquid à Deo obtinere voluerunt. Sic pernoctantes in orationibus, carnemq; laudabili sobrietate conficientes, supplices, gratias, dona, & beneficia postularunt. Est & penna pulcherrima sancta discretio virtutum mater & nutrix, quæ reddit rationabile obsequium nostrum, ad externa nos non sinit deflectere, omni spiritui credere non permittit, quia Sathanas transfigurat se in angelum lucis, vt veram in nobis lucem euacuet, & secundum mensuram virtutis, quid valeant humeri, inspiciens viam Dei ingredi adhortatur. Heu quot se sibi & alijs indiscretione inutiles reddiderunt? in amentiæ manus inciderunt, & tedio confecti ad sæcularia redicre, suauitatem contem

plationis obruerunt, sensibilem deuotionem excusserunt, & multipliciter se dæmonum laqueis exposuerunt. Est & alia penna, qua reliquæ omnes decorantur, & sine qua illæ propriam amitterent pulchritudinem. Hæc autem est coronabilis perseuerantia, de qua Dominus in Euangelio, qui perseuerauerit vsq; in finem saluus erit,& alibi. Qui vult venire post me: tollat crucem suam,& sequatur me quotidie,& Ioannes in Apocal. Esto fidelis Deo vsq; ad mortem,& dabit tibi coronam vitæ. Perseuerantia est nutrix ad meritum, finis virtutũ, constantiæ filia, charitatis vinculũ, sanctitatis propugnaculum, mediatrix ad premiũ. In cassum bonum agitur, si ante vitæ terminũ desera tur,& frustra velociter currit, qui priusquam ad metas veniat, deficit. Horrea non implet agricola, nisi in agro laborem messis, & in area solis ardorem perseueranter pertulerit. Legitimè certat, qui perseuerat in congressu, donec obtineat victoriam. Non ergo coronabitur, nisi qui perseueranter certauerit. Certauit Dominus & vicit. Certantes nos adiuuat exhortationibus, exemplo, verbis, promissis, & donis. Vxor Loth non perseuerans in obedientia versa est in statuam, sic desistentes ab incœptis sanctum euacuant propositum, suum eneruant spiritum, & in cordis duritiam incidunt. Vt ad perseuerantiam nos induceret, noluit, quum tamen potuisset, descendere de cruce, sed in ea vsq; ad spiritus emissionem persistere, & aliorum manibus deponi. Sola perseuerantia est, cui æternitas redditur, & quæ æternitati hominem reddit. Absq; perseuerantia nec obsequium mercedem nec beneficium gloriam, nec laudem fortitudo meretur, caret brauio, qui currit, premio qui laborat, & corona victoriam

riam obtinens. Finis vtiq; coronat opus. Enitamur ergo, vt dum tempus habemus, operemur bonum, nunquam deficientes, quia & tempore suo metemus non deficientes. Et vt per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, semper aspicientes in authorem fidei, qui pro posito sibi gaudio talem sustinuit crucem, vt non fatigemur animis nostris deficientes in disciplina perseueremus, quia patientia nobis opus est, vt voluntatem Dei facientes reportemus promissionem. Omnis autem disciplina in præsenti videtur non esse gaudij sed mœroris, verùm postea per eam exercitatis fructum pacatissimum reddit iustitiæ. Remissas ergo manus & soluta genua erigamus, nec amittamus confidentiam, quæ magnam habet remunerationem. Vitam profectò christianam ducere & iugiter benefacere & malè pati, se cum omni humilitate ac mansuetudine discreto aliorum iudicio subijcere, in seipso nunquam confidere, interiorem hominem diligenter colere, respicere in faciem Christi sui, & eum fideliter imitari, propriam voluntatem vt seductricem detestari, suis sensibus bellum indicere, seipsum diligenter cognoscere, vincere, & despicere. Hæc est.n.secundum patrum sententiam vera & vtilissima lectio, humilis sui victoria, & realis despectio, alioquin in volatu anima Icari Dædali filij præcipitium incurrit, illuditur à diabolo, à luce relinquitur, a tenebris occupatur, à morte inuaditur, à vita repudiatur, spiritali vacuatur dulcedine, impletur amaritudine, semper discere satagit, & nunquam agnitionem veritatis consequitur. In concauo igitur humilitatis sit nostræ volatus COLVMBÆ, quia ibi Deus immoratur & reperitur, nam factus est in pace

locus eius, in humilitate autem vera pax fulget, dolosi accipitris expauescat insidias, semper.n. circuit quærens quem deuoret. Hinc beatus vir,qui semper est pauidus, qui timebit & allidet paruulos suos ad petram, petra autem nobis erit Christus. Alterius potius quàm suum sequatur arbitrium, innitatur iudicio, sectetur consilium, quia super mitem & humilem requiescit altissimus, & cũ omnia fecerimus, protinus proferamus. Serui inutiles sumus, minus, quàm debuimus, fecimus, sic tutus noster erit volatus,sic proculdubio consequemur, quod tam acriter peroptamus. Pennas & volatum suum ascribat COLVMBA nostra illi, qui est dominus virtutum, qui intuetur abyssos, qui omnia quæcunq; voluit fecit, qui in cœlo & in terra humilia respicit, qui facit mirabilia magna solus, qui deducit ad inferos, & reducit, qui operit cœlum nubibus, qui aperitmanum suam & implet omne animal benedictione, qui extendit cœlum sicut pellem, & tegit aquis superiora eius, qui fundauit terram super stabilitatem suam, & ambulat super pennas ventorum, qui deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, qui iudicabit fines terre, dabit Imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui, qui est Deus magnus, dominus, & rex magnus super omnes deos, qui in humilitate nostra, memor est nostri, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, cuius sapientiæ non est numerus, qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam, qui producit in montibus fœnum & herbam seruituti hominum, qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit,

qui fecit redemptionem plebis suæ, qui dat escam omni carni & redemit nos ab inimicis nostris, qui fecit cœlos in intellectu, & firmauit terram super aquas, qui diuisit mare rubrũ in diuisiones, ac in manu potenti & brachio excelso eduxit Israel per medium eius, qui illuminat vultum suum super nos, vt misereatur nostri, qui producit ventos de thesauris suis, respicit terram & facit eam tremere, qui cognouit figmentum nostrum, & confirmauit super nos misericordiam suam. Ioannis testimonio de agno immaculato, qui tollit peccata mundi, ne suspectum haberetur, testimonium accessit aduenientis COLVMBÆ, nec incongrue inquit Ber. ad indicandum agnum Dei descendit COLVMBA, quia nil melius agno conuenit quam COLVMBA. Quod.n. agnus in quadrupedibus hoc COLVMBA est in auibus. Summa vtriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas. Hæc namque & ille ab omni distant malitia. Nocere nesciũt, ledere nõ nouerũt. Et ne fortuito casu COLVMBÆ descensus fuisse putetur, accedit & patris æterni testimonium dicentis. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Non ergo audiendi sunt heretici, non scismatici, nõ deficientes ab immobili Petri sede, non infideles, sed Christus in ecclesia, ipse .n. verus magister est, verè docet turbas de Petri nauicula. Et beatus est vir, quem tu erudieris domine & de lege tua docueris eum. Tu enim doces ore & opere potens in opere & sermone. Tu instruis verbo & exemplo fortis erga nos in dilectione & amore. Siquidem sic nos dilexisti, quod tibimet propter nos nõ pepercisti. COLVMBÆ ascribitur meditatio, hinc qui mane clamabat sicut pullus hirun-

dinis bona de manu domini cum gratiarum actione su-
ſcipiens veſpere meditatur vt COLVMBA mala feruenti
animo pariter ſuſtinens, inſtar COLVMBÆ gemens in tri
bulatione ac effūdēs lachrymas ſed tali charitatis gemitu
lędentium potius quam leſi ſtatus defletur. Clamor inſu-
per hirundinum nō minus actionem innuit, quam CO-
LVMBÆ gemitus contemplationem. Oculi COLVM-
BARVM in canticis ſpiritualem animæ intuitum in-
nuunt, quo dilectum ſuum ſuauiter contemplatur, dul-
citer amplectitur & ardenter meditatur. Et fœlix qui cum
propheta verè poteſt proferre. Oculi mei ſemper ad do-
minum. In foraminibus petræ COLVMBA tutum reperit
refugium & fidelis anima in Chriſti vulneribus, ex qui-
bus exit diuini amoris incendium, quo qui roboratur nil
ſe ſcire niſi Chriſtum crucifixum arbitratur, eum ſequi-
tur relinquens omnia, ei viuit ſibi mortuus, & poſt in-
ternum volatum in eo ineffabiliter requieſcit. Pennæ au-
tem noſtræ COLVMBÆ dicuntur deargentatæ, quia non
à ſeipſis ſed ab alio. ſ. Deo virtutem ſuam hauriunt. Ideo
in omnibus emergentibus reſonare incipimus. Deus in
adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me
feſtina, & quum aliquid boni egerimus. Non nobis Do
mine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Non vo-
lāt ad amœna virentia COLVMBA noſtra niſi regitur,
& dimittatur ab obedientia, niſi foueatur ab humilitate,
niſi cuſtodiatur à paupertate, niſi comitetur à diſcretio-
ne, niſi nutriatur in ſolitudine, & niſi coronetur à ſancta
perſeuerantia. Ergo coronata euolat, tanquam Regi-
na in veſtitu deaurato. Hinc legitur poſteriora dorſi eius
in pallore auri, ſ. charitatis, quæ merito excellit omnes
virtutes,

virtutes, ficut aurum omnia nobilitate & valore fuperat metalla. Anteriora COLVMBAE noftræ, in quibus funt pennæ deargentatæ: actiuam vitam præfigurant, quæ fi vera eft, & fpiritualiter exerceatur, compluribus virtutibus deargentatis.i.diuinę gratiæ afsiftentia perfufis effulget, & pofteriora vitam contemplatiuam, cuius perfectionem auri intuitus præfignare videtur, vel illa præfentem vitam, hæc cœleftem æternamq; innuit. Sed cur dicitur in pallore auri, nifi quod electis per gratiam communicatur, quod in Deo eft per naturam. Ideo nemo bonus ex fe, nifi Deus, & quum fancti boni fint, hoc eft per participationem. Vita actiua, quæ eft Martha: follicita tota in virtutum exercitio occupatur. Contemplatiua autem, quæ eft Maria: optimam partem eligens requiefcere videtur in guftu charitatis, & fruitione, quæ eft excellentior via, quam Corinthijs fe Apoftolus demonftrare profitebatur, finis.n.præcepti eft charitas, hæc nunquam excidit. Manent fides, fpes, charitas, maior autem horum eft charitas, quæ omnia excedit charifmata meliora, & quæ Deus eft. Nam fcribit Ioannes. Deus charitas eft. Quid pretiofius? qui manet in charitate: in Deo manet, & Deus in eo. Quis locus eft tutior? quid delectabilius? Hæc quum virtus adeft, à noftra COLVMBA habentur omnia, & quum deeft fruftra habentur cætera. Dum proximo congaudet, operibus mercedem habet de alienis. Inter medios cleros videntur complures dormire, dum fcipfos non exercent pofitos inter angelos & dæmones, illi nos ad cœleftia iugiter adhortantur, hi ad terrena nos femper alliciunt. Anima noftra vtens in Dei gloriam donis fibi creditis, vt COLVMBA ad cœleftē fpon-

ſum ſuũ euolat, in eoq; requieſcit, ſed anima illis abutẽs nigerrimus coruus efficitur. Inter medios cleros dormit COLVMBA, dũ in actiuæ ſe modò exercet operibus, & modò in his, quæ ad contẽplatiuã ſpectãt vtiliter ſe occu pat, ex quo ex anima & corpore cõſtituimur. Et huiuſmo di exercitatio tã libenter hilariterq; amplexanda eſt, vt in ea requieſcere anima videatur, & dum vtriuſq; vitæ operi incumbimus, verendum eſt, ne pro vna alteri parti derogemus. Hinc ait ſanctus Iob. Verebar omnia opera mea. Cogitent hoc, qui ſibi in operibus ſuis blandiuntur, ſapiunt, & placent. Videtur in hoc verſiculo propheta nos adhortari, vt peractis ſanctis pietatis operibus, orationi, meditationi, & contemplationi vacemus, & ſi noſtra erit electio in pallore auri potius quam in pennis deargentatis, ideſt in contemplatiua magis quàm in actiua nos exerceamus, quia illa Deo inhærere compellit, iſta homini, & ſic illa tantum ab iſta differt, quantum creator à creatura. Non tamen deſerendus eſt proximus, quũ imminet neceſsitas, obedientia exigit, & charitas ſuggerit. Felix, qui vtranq; .i. miſtam profitetur, ex quo vna eademq; COLVMBA pennas deargentatas & pallorem auri defert. Actiua Chriſtus quæritur, contẽplatiua com plectitur, & inter ipſos amabiles complexus, inter ipſos dulces ſermones, quos adinuicẽ conferunt: COLVMBA adhærens Deo, vnus ſpiritus fit cum eo. O vos, qui tam ardenter argentum & aurum concupiſcitis COLVMBAM noſtram vtrunq; deferentem intueamini, vt ditemini, valor enim eius omnium temporalium valorem ſuperat, ſicut bonum immortale, æternum, & incommutabile excedit corruptibile bonum, temporale & momentaneũ.

Felix

Felix anima sic pēnata, quia frustra iacitur rhete ante oculos pennatorum. Infelices, qui veluti pecora, quæ natura prona, ac ventri obedientia finxit: vitam degunt, alterum vtiq; cum Deo, alterum cum belluis commune est. Sed quum natura dederit os homini sublime, cœlumq; videre, cur solum terrenis inhiat? & cœlestis hæreditatis oblitus hæc peritura sectatur? Sic ergo quilibet per bona temporalia transire studeat, vt non amittat æterna. COLVMBA quū non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, cadaueribus cum coruo non insedit, sed accepto oliuæ ramo, vt fidelis festinauit ad arcam. Quis dabit mihi pennas sicut COLVMBÆ, & volabo & requiescam? vt .s.ex præsenti hostium periculo elapsus, extra me ipsum euolare, in locum tutiorem commigrare valeam, me.s.in Christi vulnera recipiendo. Ibi vtiq; vera in terris est animæ requies. Felix, qui à sæculo elongauit fugiens, & viriliter mansit in solitudine. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? quis me eripiet de rugientibus præparatis ad escam? quis me eruet de manu tot dæmonum? quis educet me de laqueo venantium? gratia domini nostri Iesu Christi, per quem saluati & liberati sumus. O bone Iesu ad te humiliter confugio, suscipe pœnitentem, ne reijcias miseriam suam confitentem, ne auertaris ab hoc homunculo in te sperante, ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Deus in nomine tuo saluum me fac, sub vmbra alarū tuarum protege me, mirifica misericordias tuas super me, qui saluos facis sperantes in te. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea, per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomē tuum in sæculum,

& in sæculum sæculi. Regnum tuum regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. Exurge domine, adiuua me, redime me, & miserere mei. Intende in adiutorium meum domine Deus salutis meæ, ne derelinquas me domine Deus meus, ne discesseris a me. Inimici mei viuunt, & confirmati sunt super me. Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Exurge in occursum meum, conclude aduersus eos, & dic animæ meæ, salus tua ego sum. Libera me, quia egenus & pauper ego sum, & cor meum conturbatum est intra me. Adiuua me domine deus meus, saluum me fac secundũ misericordiam tuam. Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi, saluũ fac seruum tuum, quoniam tu es domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te, quoniam magnus es tu & faciens mirabilia tu es deus solus. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. Libera à persequentibus me, quia confortati sunt super me. Fac mihi signum in bonum, vt videant, qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu domine adiuuisti me, & consolatus es me. Des mihi pennas sicut COLVMBÆ, & volabo & requiescam in te. Veni sancte spiritus, qui in forma COLVMBÆ, super dominũ meũ baptizatum apparuisti, & emitte cœlitus lucis tuæ radium. O lux beatissima reple cordis intima huius nunc homunculi. Laua, quod est sordidum, rege, quod est deuium, flecte, quod est rigidum, riga, quod est aridum, vt tuum mens mea fiat habitaculum. Ignis tuus semper ardeat in altari cordis mei, tuo me perfundas amore, tuo me vulneres iaculo. Da, me in te recta sapere & tua semper consolatione gaudere.

Da

Da mihi pennas sicut COLVMBÆ & volabo & requiescam. Maria Virgo Virginum, Sanctæ Trinitatis triclinium, Angelorum speculum, Scala Sanctorum omnium, Tutum refugium omnium peccatorum, Afflicto rum solatium, cerne pia meum periculum, suscipe clementissima meum suspirium, & redde mihi tuum placatum filium, vt per te me recipiat, qui per te datus est mihi. Copiosa charitas tua meorum cooperiat multitudinem peccatorum. Tuo filio me reconcilia. Tuo filio me commenda. Tuo filio me representa. Humilitas tua meæ veniam impetret vanitatis. Sancta Maria succurre misero, iuua pusillanimem, refoue flebilem. Dignare me laudare te Virgo sacrata. Da mihi virtutem contra hostes tuos. Tu, quæ angelos vincis puritate, & sanctos omnes superas sanctitate, da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Da mihi pennas sicut COLVMBÆ O COLVMBA purissima & volabo & requiescam tuo modò in gremio, modò in filij vulneribus & quo me vertam nesciam. In te lactabor ab vbere, in eo pascar à vulnere mater mea dulcissima. Per te, quæ es inter filias Adæ sicut liliũ inter spinas: Deus factus homo factus est frater meus, inter fratres litem esse non patiaris, lis ista prouenit ex mea culpa, quæ magna est, sed maior est pietas sua, & si commisi vnde me damnare potest, ipse non ammisit vnde saluare solet. Renua in me quicquid mea peruersa voluntate & diabolica immissione violatum est; mitem me fac & castum, Solue vincla reo, profer lumen cœco, mala cuncta pelle, bona cuncta posce, & quò tuum possim verè laudare filium, pro me orando cum sanctis omnibus da mihi pennas sicut COLVMBÆ &

volabo ad eum & requiescam in suaui silentio & spiritali colloquio. Sancte Ioannes, qui dignus habitus es agnũ tollentem peccata mundi digito demonstrare (hinc meritò plusquam Propheta fuisti) illam cœlestis patris vocem auribus percipere, Spiritum descendentem quasi COLVMBAM de cœlo & manentem super ipsum filiũ Dei, qui baptizat in Spiritu sancto, cumq; proprijs manibus baptizare, cuius calciamenti corigiam te indignum soluere arbitraris, per tuam sanctam natiuitatem, in qua multi gauisi sunt, & patri tuo vox restituta est, qua Domino quotidie gratias agebat, te humiliter deprecor, vt tuis precibus & meritis des mihi pẽnas sicut COLVMBÆ & volabo & requiescam in eo, in cuius occursum gesti ebas erumpere adueniente illa, quæ ipsum gestabat in vtero, & qui de te mirabiliter protulit. Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. O bone Iesu, quid est quod agebas, quando diros clauos ipse sustinebas? Tu de siti conquerens de cruce silebas. Nunquid hanc doloribus magis sentiebas? Sed salutem potius nostram sitiebas. Rogo te per illud tam ardens humanæ redemptionis desiderium, vt sicut nobis precepisti, vt essemus simplices sicut COLVMBÆ, sic tua ineffabili pietate motus, non meis meritis exigentibus, des mihi pennas sicut COLVMBÆ & volabo & requiescã in tuis vulneribus. Sancti Dei omnes quorum hodie ab Ecclesia matre mea pijssima solennitas agitur: orate indesinenter pro me pauperculo ac peccatore miserimo, vt vestro post hanc terrenam peregrinationem coniungar consortio, & interea obtineatis à Domino, vt det mihi pennas sicut COLVMBÆ & volabo & requiescam in eius transfixo latere.

latere. In hac vestra vtiq; celebritate magnam spem conceepi, ideo confidenter ad vos confugio. Vtinam sincero deuotionis affectu vestros hodie possim celebrare triumphos, illas consequi beatitudines, quæ in Ecclesia in missarum solenniis Matthei leguntur ex Euangelio, & vobis congaudere regnantibus, vtinam vestra mihi sentiam collata suffragia, & me à vobis eruditum Deum colere, Christum amore prosequi, crucem realiter amplecti, angelos honorare, & meæ præsertim delegatum custodiæ, diuina dona degustare, vitia detestari omnia, mentis tenebras depellere, virtutes assequi, illisq; tanq; tot pennis deargentatis decorari, proprij cordis latebras rimari, perquirere, discutere, & in diuino lumine intueri. Scio quòd vestra laudabili conuersatione mihi suadetis mundum spernere, orationi incumbere, spiritalem congressum viriliter aggredi, omnia pietatis opera exequi, quæ iudicandis omnibus præpositurus est dominus, sed sine vestro quid possum præsidio? Vos qui clarius præsentis vitæ discrimina, diaboli fraudes & laqueos, tribulos & labores inspicitis, mihi misero vndiq; obruto compatiamini. Erga me vestræ perfectæ charitatis aperiantur viscera, vt Dei ac proximi dilectione flammescam. Nunc fluctuo in dubiis, nunc exterius persecutionibus inuoluor, nunc interius tentationibus impugnor, aut falsis hominum blanditiis irrhetior, nunc inflor prosperis & persuasione tumesco, nunc variis casibus deiicior aut irrationabili tedio conficior. Flectamini igitur pietate, diuinā pro me & pro dilecto Domino Ioanne Petro, qui mihi portus extitit, quem inter cæteros plurimum diligo & quem his meis salutatum habeo, exoretis clementiam, vt nobis parcat,

vt in terris sic vitam degamus, quòd illam nõ amittamus æternam, vt iugiter in domino proficiamus, vt in omnibus illius proximiq́ dilectionem cum nostra salute sitiamus, vt exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis & in virtute Dei, ne vnquam vituperetur ministerium nostrum. Detis nobis pẽnas sicut COLVMBÆ vt volemus & requiescamus in illo, cuius nunc pulchritudinem miramini, suauitate fruimini, fruitione lætamini & læticia ineffabili vobis inuicem congaudetis. Vtinam per vos quilibet nostrum transeat in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, renouemur interius, mente conuersemur in cœlis & vos perfectè veneremur in terris, quibus æternarum sedium in cœlis est collata sublimitas, & quos tanto Christus extulit honore benè beatèq́ viuendo fideliter imitemur, quod vt facilius exequamur, vestris precibus & meritis detis nobis pennas sicut COLVMBÆ & volabimus & requiescemus in cruce, eam feruenter deferentes pro illius nomine, cui soli debetur omnis honor & gloria. Fœlix anima, quæ instar istius propheticæ COLVMBÆ argenteis virtutum plummis fuluo charitatis auro intertextis decoratur. Sic exornata Dei conspicitur Ecclesia, quæ non habet maculam neq́ rugam, quæ ab illa memorabili arca figurata requiescit super altissimos mõtes Armeniæ. i. super Reuerendiss. Prælatos Christi in terris vicem gerentes. Est nanq́ tot sacramentis & mysterijs dotata tanquam pennis deargentatis & posteriora dorsi eius sunt in pallore auri, propter eminentiam charitatis Dei, quæ in ipsa effulget Ecclesia, sic

adeo

adeo in altum euehitur, vt nullo obice detineatur, quominus in sinum sui cœlestis sponsi se recipiat volatu laudabili in eoq; conquiescat amplexu desiderabili. Renouemur igitur spiritu mentis nostræ induentes nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, vt nostra interior COLVMBA pennas suas habeat volet & requiescat in domino pro illius gloria.

Dominus illuminatio mea & salus mea,

quem vestrum timebo?



Dominus protector vitæ meæ,

A quo hæreticorum trepidabo?

DE CONGRVA
GRATIORIS
NOMINIS ELECTIONE
R. D. LAVRENTII DAVIDICI
pro Chriſti gloria. Ad eundem Pium .IIII. Pontificem Maximum.

ADMIRATIONEM Nonnulli concipiunt Beatisſime Pater Mediolanenſium ciuium ſplendor, venerabile fundamentum Eccleſiæ & fidelis Paſtor ouium Chriſti, quòd cum à teneris vnguiculis Caſtelinus de Dauid à compluribus vocarer in patria (quę rationabilibus ex cauſis forte oſſa mea, nec id tamen ei vitio detur, non habebit) nunc Laurentius Dauidicus ab omnibus & vbiq; appellari cupiam, quibus in his meis ad te ſanctisſimum caput directis ſic in verbo veritatis reſponſum exarandum cenſui ratione motus laudabilis famæ, quam habere teneor. Ex quo melius eſt gratius nomen, quam diuitiæ multæ, & quiſq; non minus ſibi quam cœteris ab ipſa charitate conſulere compellitur. Ad obturandum ora malignantium bona omnia diuinæ aſcribens largitati, à qua omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum in nos mortales defluit, reſpondeo, quòd iam

cunctis

cunctis innotescit me postquam ad annos discretionis deueni Castelini nomen nō curasse & Laurentij sanis mo tū rationibus elegisse & id pręsertim obtinere volui cū ad ordines sacros promotus in sacræ theologię iurisq; cano nici professione doctoratus Dei gratia insigniis clarescerē tot primatum familiaritate vterer & à fœlicis recordatio-nis Iulio.III. Pont. Max. in apostolicum predicatorem assumerer, vt catholicæ veritatis doctrinam vbiq; disse-minarem. (Immo antea inquam compluribus annis) me potius Laurentium quam Castelinum Dauidicum vo-cari volui, nec hoc immerito. Super Craticulam enim per secutionum, cuiusuis tentationum generis, & tot labo-rum, quos pro Christi nomine passim exhausi presertim in hæreticis impugnandis me vitam hactenus ducere eo-rum omnium, qui me norunt, neminem præterit. Ex pa-ternis libris, in quibus ipse genitor meus. D. Georgius Dauidicus vir non mediocris vtiq; integritatis multa pro suæ mentis solamine conscripsit, & inter cætera filiorum vtriusq; sexus, quos ex domina Iohanna vxore eius ho-nestissima suscepit, nomina illos legētibus clarescit, quod dum Baptismatis aqua perfunderer me Paulum Lauren-tium Castelinum vocari voluit, vt patris sui ac duorum fratrum, qui iam extremum diem clauserant in me vno me moria frueretur, & sic me infantem ac puerum Casteli-num potius quam alio nomine ex tribus omnes nuncu-parunt. Cum annos discretionis attigissem nomen Caste ni mihi displicuit illudq; renui, nomine Pauli me indi-gnum arbitratus Laurentij apellationem assumpsi, sicq; inuitum adhuc nonnulli me Castelinum vocare non de-sinunt, quos summa ignorantia laborantes excusatos ha-

beo. In hoc autem cui obesse videor? Quid falsitatis deceptionis ve in hac mihi gratioris nominis vocatione & electione reconditum conspicitur? Quid damni iniuriæq; ex Laurentij electione quisquā perpessus est? Num minoris conditionis Laurentius quam Castelinus haberi debuit? cum vtrunq; nomen in sacro Baptismatis fonte impositum fuerit, vt ex cathalogo per eum Baptizatorum R. presbiteri Bartholomei de Guerra, qui tunc in patria mea animarum rector me baptismatis aqua perfudit sole clarius innotescit. Ego semper Deum timui ab ineunte ætate, ac præ oculis habui, sanis non solum parentum meorum, & præceptorum consilijs, sed diuinæ bonitatis impulsu, ipsiusq; naturæ motu, quam vt optimam ducem secutus ingenuis artibus, christianæq; disciplinæ nullis laboribus parcens operam nauaui, singulis semper prodesse, & nulli obesse studui. Vitam quidem meam imperfectionibus illis, sine quibus non defluit humana fragilitas, refertam esse intueor, sed quo ad notabilia, mortaliaq; peccata præsertim in proximū Dei gratia, qua sum id quod sum, & quæ in me vacua non fuit, omni reprehensione me indignum esse video. Non ergo in alicuius fraudem, non euitandæ iudicialis censuræ gratia, non seductionis studio, non passionis impulsu Laurentij nomen ex tribus impositis teste Mag. ac discreto D. Io. Antonio Curto Mediolani se continente, & adhuc vitam degente hoc anno, qui nunc decurrit ab incarnatione Domini. M. D. LXII. qui vir laudabilis vitæ & probatæ fidei in compatrem electus à parentibus me inter cæteros de sacro Baptismatis fonte suscepit, ommissa Castelini nuncupatione delegi, sed quia mihi Laurentij

nomen

nomen gratius extitit. Obmutescant igitur obloquentiũ ora, suas silentio inuoluant calumnias, & à tot desistant oblocutionibus, quia iure in me non habent quicquam. Nil nõ perpessus sum in animarum expiscatione (quam tot annis exercui) in hæreticorum verbo ac scripto insequutione, in vitiorum ac sæculi abusuum impugnatione, in deniq; omnium ad benè beatèq; viuendum adhortatione. Diuinã legẽ pro viribus fauente Domino inuiolabiliter custodiui, in hoc tamen nõ iustificatus sum, quia scriptum est. Delicta quis intelliget? ab occultis meis munda me, & quia nescit homo odio an amore dignus sit, & quia aliud iudicium Dei aliud hominum esse non ambigo. Cur igitur tam acriter aliqui in pauperem Dauidicum in huncq; homunculum exitialiter inuehuntur, tam infense inardescunt, & nulla habita ratione meæ potius Dei gratia laudabilis vitę candorem denigrare contendunt? Cur nullo iure me inuadunt mordaces & tam hostiliter suis detractionibus ob hanc vnam nullius momenti causam adoriuntur? Conticescant obsecro, suæ consulant conscientiæ, ne maiori se detrudant flagitio, in Dei indignationem incidant & grauiori se inuoluant scelere, dum me infesti tam assidue insectantur. Nunquid vt nouus homo ex vmbra nunc in lucem prodij? Quis non nouit in omnibus ferè Italiæ partibus Dauidicum, qui est notus singulis orthodoxam fidem profitentibus & tibi summo Pontifici clementissimo? Quam ciuitatem, quod opidum is non pauit sacrarũ scripturarum enucleatione, catholicis contionibus, spiritualibus eloquijs & probatæ vitæ actibus? Non nobis tamen non nobis Domine sed nomini tuo da gloriam. Me pro posse

vitæ integritatem amplexum fuisse quis vnquam iure inficias ire poterit? Ego ex honestissimis parentibus ortus non nomen immutasse (vt maledici asserunt) sed quod omnium auribus gratius insonaret nō minus impositum in Baptismate iuxta ritum Ecclesiæ à nostratibus elegisse videor. Meæ autem vitæ rem paucis absoluens adductis rationibus forte in arrogantiæ suspitionem apud aliquos incido, & si ab omni pœnitus ostentatione etiam ipsa naturali consuetudine alienus extiterim. Verùm de Dauidico maleuoli quicquid velint sentiant, modò me interius coram Domino mea non incuset conscientia. Ast dato sed non concesso quod nouum nomen assumpserim, quid criminis id esse conuincitur, cum id tantum, vt mihi magis ac amicitiæ vinculo coniunctis satisfaciam, sine aliqua fraude, alicuius iniuria, sinistra ve intentione peractū fuerit? Quid de vita, quid de moribus, quid de doctrina, quid de laudabili fama, quod verum esse probetur nugaces iure criminari poterunt? Nil vtiq; Dei gratia. Pereant igitur, & ex omnium animo eorum adinuentiones excidant. Dum nil nisi laudabile quis in vitam meam meritò proferre potest, quo ad humanam probitatem me virum honestum ac spectatæ fidei esse confitetur. Pater meus vir christianis moribus prę̨ditus me in Castronouo Lumellinę suscepit, doctis præceptoribus me erudiendum tradidit. Dum decimum quartum annum agerem direpta ab hostibus Patria ferro cōpluribus peremptis anno post Dominicam incarnationem. M. D. XXVIII. Vercellas me cōtuli ac ibi diu noctuq; litteras non minus græcas quam latinas summo amore studioq; prosecutus, Dominū fœlicem Taurinensem non tam vitæ sanctitate

quam

quam omnibus liberalibus artibus fulgentem in præce-
ptorem, in animæ ducem, in non satis laudatæ morti-
ficationis exemplar, in asyllum virtutum omnium Dei
munere cum aliquibus alijs adolescentibus per quinque
nium habui. Eo defuncto quidam ex consanguineis meis
D. Christòphorus Cornetus nomine tunc Clementi Pon
tifici maximo inseruiens, vt Romam contenderem, im-
portune suis literis obtinuit, ibiq; Laurentio ac successori
bus Antonio & Roberto Putijs Cardinalibus is me de-
seruire voluit, qui nonnulla mihi Ecclesiastica beneficia
contulerunt, sed cum curialem consuetudinem egre fer-
rem, consilijs dicti D. Fœlicis haud obliuioni traditis,
vitæq; meæ reformationem sitirem tunicam illam pre-
stante Domino exui, & in realibus virtutibus proficiētes
aliquos verè colendos sacerdotes veros Christi imitato-
res Mediolani imitari volui eorumq; vestigia percurrere
studui, qui scientes triplicem meam nominis impositio-
nem, vt ad maiora me excitarent, proueherentq; motu
Dei non Castelinum, sed modò Paulum, modò Lauren
tium nuncupabant, quibus iniuriam inferre conspicerer,
si adhuc Castelinum potius quam Laurentium aut Pau-
lum me vocari permitterem, nec quis potest vitio dare, q
ad euitandum hereticorum insidias aliquibus me Paulum
de cruce appellari dixerim. Cum verè Paulus sim nomine
& de cruce professione, sicut omnes Christi fideles se cru
cem deferre profitentur. Si aliquibus ex nostratibus me
adhuc Castelinum appellare libet & id sibi licere asserūt,
mihi ex tribus Laurentij nomen eligere non licebit? Num
in hoc minoris conditionis existo, cum hoc festum, vt
dicitur, sine me non peragatur? Ordinarij inde suasu

Reuerendiss. D. Egidij Falcetæ adhuc vitam hanc mor-
talem decurrentis zeloq; fidei nostræ præditi diuinũue
cultum premouentis vt ex publicis ipsius literis constat.
Nec non Iulij tertij fœlicis recordationis Pontificis ma-
ximi pręcepto (vt ex eius apostolicis breuibus literisq;
patet) hereses impugnare, ad vitæ nouitatem euangelicis
contionibus, ad Christiq; imitationem populos adhor-
tari hactenus non destiti. Nunc loco mercedis & premij
post tot labores pro Christi fide exhaustos à malis per-
secutionum tribulis vndiq; conficior, in quarum craticu-
la Deum non negaui, cuius gratia omnia mea in luce cla-
rescunt, ad maiora me accingo certamina & crucē ipsam
amplector vt dominam. Flante in me diuini spiritus aura
per patientiam curram ad propositũ mihi certamen aspi-
ciens in authorem fidei. Non bonos timeo, quos vene-
ror, sed malignantium, carnalium, tepidorum, non verè
spiritualium & hæreticorum vbiq; oppressiones, insidias
& insecutiones, dum in eis veritas odiũ parit, expauesco.
Nam præteriti ratio scire futura facit. Nunc habet Beatis-
sime Pater summa benignitas tua totius exactæ vitę meę
cursum ac seriem & nunc conspicit quòd in Congrua ve
ri nominis electione oblocutorum prauitas eliditur eo-
rumq; malitiæ maleus excutitur. In hoc quinquaginta an
norum nunc elapso spacio, quo hactenus vitam duxi,
nulla fraus teste Deo, nullũ in me eminēs vitium Dei gra
tia detegitur. Mihi nil aliud coram serenissimo catholi-
corum conspectu impingitur, nisi quòd Castelini no-
men in Laurentij nullo tamen admixto dolo ac scelere
permutare placuit, quod quam leue vanumq; sit me præ-
sertim à veritate ipsa non dissentiente Celsitudinis tuæ sit
iudicium.

iudicium. Qua lege, cum nulla fraus inest negotio, nominis permutatio prohibetur? Si qua reperitur adducatur in mediũ (ipsa enim leges optime calet quas diu professa est) quamprimum proferatur, innotescat omnibus. Sed nulla in Iustiniani, Baldi aut Bartholi Codicibus reperitur, vt quidam eximij legum professores, quos consului, asserunt. Imo vt iidem innuunt, leges hoc permittunt, concedunt & nulla existente fraude clargiuntur, cum inquam iniusta alicuius deceptio non delitescit, cũ damnum aliquod nullius ceruicibus imminet. Si parentibus filiorum nominis libera est impositio, cur non liberum esse honestas exigit, vt filij, cum annos discretionis attigerint ac ratione ducuntur (modò in hoc innocentes existant, nullamuè fraudem concipiant) nomen sibi impositum, quod fortè non placuerit audientiumq́ʒ aures offendat, immutare valeant? Num equũ est vt si me parentes adhuc infantem aspidem Fabarium, Suengum, Coruinum, Agasonem, aut Lupinum vocassent, ratione vtens adhuc compellar, vt sic me appellari permittam? Si me hostes insecuntur (quod absit) vt perimant, & Laurentium Dauidicum hostiliter impetunt, num licebit in alienis regionibus præsertim me Cæsarem aut Pompeum potius quàm Laurentium appellari velle, vt vitæ consulam? Licebit vtiqʒ. Sed vbiqʒ hostis ille ad mortem insequitur, qui semper circuit querens quem deuoret. Cui insuper vnquam dubiũ esse poterit ea nobis concedi quę licent, vt dixi, & minime à legibus prohibentur? Sed pro vitæ conseruatione nil iniustum est peragendũ. ergo iusta est nominis sine fraude mutatio. Et si hæc iusta tanto magis licet nominis iam impositi gratioris electio. Nũ

patribus in baptismate promissum fuerat, cur mirum esse videtur, si consensus adhibendus est de nomine? Si id quis renuit, quia non placet, quod tamen necessarium non est ad salutem. Innumera ad aures meas nomina deuenerunt, quæ malū est non tollere, & in alia quamprimum non commutare. Iniquus est hoc abnegantium animus, qui ob suæ mentis peruersitatem hanc commutationem vt fœnus, vt homicidium, vt concubinatum esse arbitrantur? Si malum est nomen immutare, cur non omnes reclamant contra Ecclesiæ consuetudinem, quæ monialem nullam, nullum monacum, in quauis religione, nullum ex summis Pontificibus fieri permittit (his tamen assentientibus) nisi mutato nomine. Ipsa autem superno lumine irradiata aberrare non potest. Mutationem fortè nominis imperita turba miratur non doctissimorum Caterua, non verè nobilium agmen, non discretorum acies, non theologorum numerus. Hi enim ducuntur ratione, consilio pollent, fulgent iudicio, quibus turba, vt plurimum, carere conspicitur, quia vana potius, inepta, superstitiosa & ridicula quam honesta sectatur, & id quoq; ab ea ex consuetudine pro nihilo habetur. Quidam huius nostrę tēpestatis viri doctissimi nomen suum tamquam ingratum auribus immutarunt. Et nil tamen hanc ob rem dignitatis amiserunt, nec minus grati principibus, imo gratiores extiterunt. Quod autem nonnulli effutiunt Patrem meum sæpius Dominum Georgium de Dauid quam Dauidicum vocatum, me autem semper libris meis inscriptum Dauidicum & appellatum. Hos hoc responso aggredior. Si ab ipso Patre in lucem hanc mortalium prodij generatus, quid mirū, si ex primitiuo Da-

uid Dauidicus deriuatur? Cum primum olim alicubi con tiones habere inciperem. In quibus Dauid Prophetæ com plures authoritates, versiculosq; adducere solebam (labo rem enim illius eximiū præ manibus habeo, memoriæq; impressum defero) qui me etiam non nouerant, inter se acclamare videbantur. Hic vir totus Dauidicus est. Nos autem trito inesse Adagio non præterit. Vox Populi vox Dei. Angelus ad hæc de monte Pultiano vir summa de coratus facundia se postea dici sempr voluit Politianum. Dominicus de Caldarijs Domitium Calderinum sibi no men confinxit. Antonius Maria de comitibus non ab re nomen & cognomen sibi permutauit vt ipsemet in scri ptis reliquit, Marcus Antonius de Flamminijs se Flammi nium dici peroptauit, Baptista de Cipellis preclarus lite rarū professor Egnatij Veneti sibi nomen imposuit. Fa bianus vetulæ seipsum Fabium vigilem nominauit, huic ob singularem doctrinam Paulus Tertius Spoletanum gregem credidit. Iorius quidam Vercellis cum Doctora tus adeptus esset insignia se Augustinum Molegnatum nuncupauit. Bernardinus Leuius, vt reliquos complures silentio inuoluam, cum Pauli .II. consuetudine familia riter vteretur, se Pomponium letum vocari voluit, nec id summus Pontifex sciens illud reprehensione aliqua di gnum censuit. Si insuper Romani suis candidatis nomi na, quæ illis elegantiora videbantur sibi ascribere permit tebant, quò apud Populum gratiores forent, quanto ma gis id Christi fidelibus pro illius gloria concedēdum esse credimus? Quis in religiosorum transmigrat cœnobia, qui nouo confestim nomine. quod ipse aut prior malue rit, non decoretur? Sic & sacræ Virgines faciunt suam

altissimo

altisſimo ſub obedientia virginitatem dedicantes. Quum ſemel coram Paulo .III. Pont. Max. diſputationis congreſſum iniſſem, quidamq; ex congredientibus me dominum Caſtelinum appellaſſet ſubridens Pontifex rogauit, an aliud mihi nomen ineſſet & percepta trium nominum ſerie ſubdidit. Quod ex tribus tibi eligeres nominibus? Reſpondi. Nomen Laurentij. Tunc ipſe Pater patrum & omnium Epiſcoporum maximus, vt olim in Calcedonēſi acclamatum eſt Concilio & verus Petri ſucceſſor in plenitudine poteſtatis protulit. Poſthac meritò Laurentius igitur diceris, & Dauidicus appelleris, vt in ſuis breuibus mihi fauorabiliter conceſsis ipſius dictantis inſtar verba referunt & teſtantur. Quis nunc tanti viri conſtitutionem irritam reddere preſumet? Quod mutandorum nominum antiqua conſuetudo refulgeat, quem fidelium latet Chriſtum aliquibus ſuis ex diſcipulis nomina permutaſſe & in ſacris Hebreorum libris etiam ipſo Dei ore id pasſim reperiri pro comperto habeo. Si qui à Romanis ciuitatis priuilegijs donabantur, ſibi quoq; concedebatur, vt ſuo nomen arbitratu quod ſibi gratius viſum fuiſſet Romanum eligeret, quis id denegare audebit Chriſticolæ ſanctæ fidei lumine decorato, cum præſertim ſanctorum nomen aſſumat ſicut ego Laurentij impoſiti, electi & dati? Si Romanorum, qui olim diligentisſimi nominum obſeruatores extiterant, conſuetudinis fuiſſe ſcribitur, vt cum plebeus equeſtrem dignitatem aſſequebatur, nouum ſibi repudiato veteri nomen aptaret, quis hoc prohibebit Chriſti equiti hæreticorum malleo & feruenti Dei gratia catholicæ veritatis profeſſori? Id autem ad altisſimæ trinitatis gloriam nō ad mei oſtenta-

tionem dictum neminem lateat. Et Plato prius Aristocles. Theophrastus Tirtamus & Cato Priscus fuit nuncupatus. Et cum id nullus vitio dederit, quis dabit vitio in Christiano iam impositi gratioris nominis electionem? Adhæc nomina imponuntur distinctionis gratia. Quid modò refert an nomine Laurentij vel Castelini distinguar à cæteris, an cognomine Dauidici vel de Dauid omnibus innotescam? Debet ne insuper homo, propter quem hæc facta sunt omnia, minoris esse in hoc conditionis rebus compluribus inanimatis, quæ amisso veteri nomine nouum obtinent. Nam inter cætera Tiberim fluuium olim Albulam dictum fuisse legitur. Nominum quoq; varietate plurimum homines oblectantur sicut in varietate rerum, quas creauit, increata Dei mirabiliter elucescit sapientia. Qùòd dici quoq; velim potius Laurentius Dauidicus quam Castelinus, quid turpitudinis infert? Quid contra honestatem dedecoris parit? Quid contra bonorum morum candorem profert? Quem quouis damno conficit? In quo religionem nostram ledit aut violat hęc gratioris nominis electio? Cōplures vitę probitate ac sapientia decoratos nomen sibi immutasse legitur, quos breuitatis gratia silentio præterire volui. Quis iure igitur potest impugnare quod tam à diuinis quam ab humanis legibus conceditur, exemplo fit sapientum, antiqua consuetudine comprobatur & gratiorem hominem hominibus reddit? Nominis præterea permutatio vel iusta vel iniusta meritò dijudicatur. Si iusta cur incusatur? Si iniusta cur in bonis sic probatur? cur à legibus permittitur? cur in historijs etiam sacris conspicitur? cur à nullo reclamatur & reclamanti aures non adhibentur? cur eam

exercuit

exercuit altissimus? Appellauit namq; Abram Abraam, & Saray vxorem eius Saram, Iacob Israel, Simonem Petrum & Cepham, Saulum paulum. Sed quia nonnullis huiusmodi nominis mutationem inconstantiæ ac leuitati ascribunt, illis & respondeo. Ergo & inconstantes dicēdi essent & leues hi, qui in melius vitam mutare emendatione conantur, & qui vt sint quod non erant, quod erant esse desistunt nouam vitam incohantes, ad quam tamen sacræ litteræ homines adhortantur. Si sapientis est mutare propositum quanto magis in bonum vel in melius vitam dicente Augustino. Mutet vitam qui vult induere vitam. Vita nostra Christus est, de quo Paulus. Induimini dominum nostrum Iesum Christum & alibi. Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. s. integritatem vitæ fideliter promouendo in seipso & profitendo. Si verum esset quod asserunt. Ergo & leuitatis notam incurrent, qui rus diu iam ab eis incultum deserunt, vt in aliqua florenti ciuitate cum prudentibus & nobilibus vitam degant. Inconstantes & viderentur Pontifices maximi (quod absit cogitatui) dum nouum nomen assumunt, vt ad nouitatem vitæ alliciantur. qui ad ecclesiæ reformationem, ad munusq; tam ineffabiliter obeundum promouentur. Leues & censendi essent infideles, cum ad sacrum baptisma confugiunt (quod tamen laudabile est) & dum primum nomen cum infidelitate ipsa exuunt, vt nouo donentur & gaudeant. Lignum, quod plantatum arbor erat, in partes sectum varias instrumenti, quod ex illo conficitur, nomen obtinet in singulis. Sic corium, quod prius pellis erat, in calcei, aut crepidæ aut cinguli zonæ uē ex eo cōfectæ nomen transit.

Ferrum nomen aliud in clauo, aliud in ense & aliud habet in gladio, cum eadem tamen semper sit materia. Ego idem sum essentia in eo qui est & qui semper erit, idem nomine & re non idem, dum Dei gratia in via ipsius Christiana professione ad eiusdem laudem & gloriam vexatione præsertim mihi intellectum conferente & exemplo probatissimorum me magis profecisse fateor. Non mirũ ergo sit si post annos discretionis non eodẽ nomine, quo puer vocabar, me appellari cupio. Cum.n. essem paruulus loquebar quoq; vt paruulus. Postquam factus sum vir con Castelini nomine Laurentij gratius mihi nomen eligens euacuaui quæ erant paruuli. Conticescant igitur hanc inanem leuemq; admirationem in me concipientes & oblocutionibus suis finem imponant. Tu autem Beatissime Pater summa, qua meritò apud omnes auctoritate fulges, detractorum iniquitates irrumpas & iniustè ab eis obruto subuenias. Vale in Domino & in vtroq; homine pro illius gloria, Dauidicumq; tuum sub vmbra alarum tuarum protegendum Pie Clemens clementer suscipias (Nõ mediocri.n. Sanctitatem tuam amore vnà cum fideli obseruatione complectitur) eiq; humiliter obsecro, vt re à tuum suorum Apostolica Benedictione plenariam Indulgentiam elargiaris. Inexhausti vigoris tam sublimi Maiestati tuæ agit gratias, quòd eidem à predecessoribus tuis collata confirmatione tua perpetua esse velis Priuilegia & quòd ipsum familiarium tuorum numero indelebiliter ascriptum teneas. In his quæ Dei sunt labori ac sibi non parcens catholicam veritatem nõ minus quam prius feruenter profitendo nunquam deficiet. Sed teste Moyse os boui trituranti non alligatur, cum Dominus iuxta

Pauli

Pauli sententiam his ordinauerit, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere. Celsitudo ergo tua, quæ sibi ex sacris Summorum Pont. nominibus omniũ auribus gratius nomen elegit (quid namq; dulcius, suauius gratiusq; quàm Pium esse re & nomine) in hoc mihi consulat, vt & ipse suæ laudabilis largitatis beneficio muniar, presidio fouear, fauore fruar & gratia fulgeam pro Christi gloria. Et quoniam aliqui propter zelum orthodoxæ fidei ac virtutũ, quẽ mihi contulit altissimus, adeo in me hostiliter inuehuntur, vt in sensu suo me velint huiusmodi persecutione peremptum, ne ab intestato amicis deficerem, vt iam sæculo huic nequam mortuus virtute animi, meum hoc spirituale, quod subsequitur, Testamentum me dictante conscribi volui testibus catholicis con Notario existentibus, dum eos con cæteris illius regionis fidelibus inuiserem Anno Domini. M. D. LX. ad ipsorum confirmationem in catholicæ veritatis professione, ibiq; graui infirmitate decumberem.

TESTAMENTVM
SPIRITVALE
REVERENDI. D. LAVRENTII DAVIDICI
PERVTILE.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, qui est vita, salus, & resurrectio nostra. Ego præsbiter Laurentius Dauidicus Mediolanensis Ducatus, & in Castronouo Lumelinæ ex honestissimis parentibus ortus, Dei & apostolicæ sedis gratia prædicator apostolicus, & in hæreticam prauitatem Florentiæ commissarius delegatus me mortalem agnoscens in hac præsertim grauissima, qua nunc laboro: infirmitate hoc Testamentum compos mentis meam vltimam voluntatem innuens condere volui. In primis Dei munere in fidei sinceritate, catholicæq; veritatis candore, quam sacrosancta Romana Eclesia apostolici collegij legitima succesione, locum, auctoritatem & potestatem sibi à Domino traditam veraciter tenens profitetur: me indubium & firmum extitisse; in eiusq; obedientia semper vixisse fateor, sicut eam hactenus, vt fidelissimam matrem ducem & magistram sequor, colo, ac summa pro viribus veneratione complector, in hoc quoq; mentis proposito altissimi gratia, beatissimæ Virginis, necnon sanctorum omnium adiutus præcibus, me vilissimum peccatorem, & miserum homunculum mori velle decreui, firmiter tenens, quicquid

præfata

præfata mater mea tenet Ecclesia sperans resurrectionem corporis mei, æternæq; fœlicitatis patriam non meis meritis exigentibus, sed per Iesum Christum dominum nostrum, ac eius purissimum sanguinem, illius enim me inutilem seruum semper fuisse video, ideò eius infinitæ nullis meis confisus operibus animam meam committo clementiæ. Ad obturandum insuper ora malignantium, me nil vnquam iam pluribus annis elapsis, præsertim ex quo apostolici prædicatoris munus mihi creditum extitit, quàm Dei honorem ipsius Dei munere, animarum salutem, Ecclesiæ dignitatem, diuinum cultum heresum pro posse extirpationem, orthodoxæ fidei promotionem, & mei ac proximi spiritualem profectum quesisse fateor. Corpus autem meum per fideles amicos, vbicumq; me diem extremum claudere contigerit, ecclesiasticæ sepulturæ ecclesiastico ritu seruato tradi peropto ipsiusq; sanctæ matris ecclesię post christianas exequias suffragia suo laudabili more per laudabiles sacerdotes ibi existentes humiliter imploro. Patrimonialia bona aut castrensia mihi non sunt, sed iam distributa pauperibus, quorum intuitu consanguinitatis mihi coniunctorum vinculo rationem habere debeam, ideò illorum loco eos omnes humiliter obsecro, vt in fide ecclesiæ eiusq; obedientia Christum fideliter imitari studeant, ad reales virtutes adhortor & vt internis bonis ditescere curent, admoneo, si quid tamen iure ad me pertinere repertum fuerit, vel circa diuinum cultum, vel in pios pauperum vsus fideliter dispensetur. Libri mei sacerdotibus Deum timentibus, sacrisq; studijs operam nauantibus concedantur, qui pro anima mea Deum oratum habeant, à quo peccatorum meorum

indulgentiam ac remiſſionẽ in eius infinita confiſus clementiã humiliter imploro, & ſi ob ingratitudinem meã, & negligentiam venia indignum me eſſe conſpiciam. Ante obitum meum ſacris ſummi Pontificis corde pedibus prouolutus poſt humilem illorum deoſculationem indulgentiam plenariam cum eius ſanctiſſima benedictione mihi impartiri peropto, omnes Chriſti fideles, ad quos hoc meum peruenerit Teſtamentum: rogatos volo, vt ſuis animæ meæ orationibus ſuffragentur, & qui ex eis ſacerdotij dignitate perfulgent: mei in miſſarum celebratione, queſo, vt memores exiſtant, & quoniam præter triginta mea iam impreſſa volumina, plurima alia imprimenda ſuperſunt, hæc amicorum fidei committo, vt fidelem eorum correctionem, & habita ſuperiorum licentia ad vſum Chriſtianæ Reip. impresſionem curent pro Chriſti gloria, cuius diuinæ largitati & gratiæ ſi quid boni in me pauperculo vnquàm fuit: penitus aſcribendum cenſeo. Amicos omnes vt Deum timeant, præ oculis habeant, & ſuper omnia diligant, radiceſq; vitiorum de cordibus euellant, virtutibus innitantur, terrena deſpiciant, cœleſtibus inhient, & nulli nocentes omnibus prodeſſe ſtudeant, humiliter obſecro. Inimicis parco, & quicquid in me commiſerunt eis remitto, diuinæ erga me pietatis intuitu eos amore complector, pro eis dominum rogatum habeo, vt eorum greſſus in ſemitis ſuis perficiat, eos à vitijs purget, virtutibus illuſtret, & ad cœleſtem patriam dirigat. Illos, qui curam animarum gerũt: rogo, vt realiter & indeſinenter animarũ curam gerant, vt non minus ſe, quam alios curent, ne curæ prouintiam habeant ſine cura, & curent alios curantes, vt & ipſi in

domino

domino in interiori homine bene valeant, ne cœci cœcis ducatum præstent, & sic omnes simul in foueam cadant. Mulieres vt honestè incedant Christianis moribus decoratæ, in Dei timore ac reali deuotione se exerceant, à vanitatibus se abstrahant, & domus sibi creditæ curam habeant pro Christi nomine radicitus admoneo. Si virgines sunt, quæ virginem decent: pertractent custodiant, & possidere conentur, virginitatis candorem, diligant, inuiolabilem seruent, & summo zelo prosequantur, pro prios sensus mortificent, ac super seipsas peruigilent. Si viris coniunctæ sunt, eos in domino diligant, eis humiliter subijciantur, eis fideliter inseruiant, honorabili con nubio, vt thorus immaculatus existat, nullatenus præiudicent, filios in his, quæ dei sunt: enutriant, filias à vanitatibus cohibeant, vtrosq; corrigant, & eorum salutem sitientes illos salubri disciplina ad Deum dirigant. Si viduæ sunt, vt veræ viduæ vitam degant, orationibus iugiter instent, mentem suam Deo dedicare studeāt, in pijs se exerceant operibus spiritualia pertractent negotia, verbo & exemplo prodesse velint, & internis bonis ita ditescant, quòd in ecclesia Dei sanctitate perfulgeant. Curialibus ex corde compatior timens, ne suæ ambitionis impulsu eorum nauicula æternæ damnationis scopulis illidatur, ideo ipsos ad veram humilitatem, ad realem mundi contemptum, ad perfectam sui cognitionem, ad spiritualem Christi imitationem, ad mentalem cum cœlesti curia vnionem, suorum sensuum exactissimam crucifixionem, & ad interioris hominis desiderabilem expur gationē adhortatos velim, vt sic transeant per bona tem poralia, quod non amittant æterna. Concionatores, vt

ommissis inutilibus, curiosis, quæ ad rem non pertinēt: & infructuosis, animabus salubre pabulum præbeant, securum ducatum præstent, spiritalia porrigant consilia, & internos oculos aperiant, amoris veri, ac sancti timoris calcaria adhibeant, & accensum in via Dei proficiendi desiderium inserant, rogatos habeo. Grāmaticæ professores, quòd se patres mentium puerorum iuxta Quintiliani dictum nouerint, peropto, quòd illos non minus christianis moribus, vera dilectione, sobrietate, deuotione, ac modestia, quàm literis exornent, quòd illis salutaria sanctorum Christiq; proponant exempla, non paganorum fabulas, non adinuentiones gentilium, non fascinatorum præludia, & q pro viribus nostram spiritualem illos grāmaticam etiam edocentes Venetijs impressam, eosdem ad dominum, scientes se pro illis rationem reddituros dirigant. Militibus consulo, ne iuxta Ioannis consilium aliquē concutiant: aut diripiant: ne alicui calumniam faciant, ne iniustum bellum adeant, ne populis iniuriam inferant, vt mulierum præsertim virginum ac puerorum rationem habeāt, vtq; cogitantes se morituros & ante tribunal Christi astituros, spiritualem in seipsis, virtutū armis impugnātes vitia, militiam exerceant. Studentes in quauis literarum professione moneo, vt recta intentione studijs suis operam nauent, vt profana deuitent, vtq; sacrarum literarum volumen sæpe præ manibus habeant, quo seipsos cæterosq; ædificent, suam aliorumq; salutem promoueant, & sibimet clarius innotescāt. Multi enim multa sciunt & seipsos nesciunt, impertinētia reuoluunt, aliosq; inspiciunt, & seipsos deserunt. Heu quot medici aliorum curāt corpora, & ipsi grauiter infirmantur

mantur

mantur interius. Quot legum professores nesciunt imponere legem aquis. i. suis inordinatis affectibus, ne transeant fines suos? Quot Christiani sine Christo, dum illum in semetipsis crucifigentes eius in doctrinam iugiter impugnant? Quot sunt religiosi sine religione sub figura religiositatis, amicorum Christi persecutores, veritate vacui, abyssus errorum, virtutum denigratores & miserabilis sentina vitiorum? Quot mercatores proximum multifariam decipientes animas suas non minus quam merces venales habent? Quot mechanici suis fraudibus, dum iniustè volunt ditescere, seipsos illaqueāt, illaqueatos imprudenter demonibus tradunt, sic traditi demum æternæ damnationis sententiam subeunt? Quilibet ergo super omnia propriæ saluti consulat, Deum timeat, & vbiq; locorum præ oculis habeat respiciens in faciem Christi sui, qui lauit nos in sanguine suo, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus. Monachatum profitētibus paupertatem, obedientiam, mutuam dilectionem, patientiam, mentalem con Deo vnionem, castitatem, rectam intentionem, humilitatem, & veram sui mortificationem commendo. Adultis omnibus zelum diuini cultus, suæ aliorumq; salutis curam & veram vsq; ad mortem catholicæ veritatis professionem consulo. Viam Dei realiter ingredi incipientibus inextinguibilem sitim spiritualis profectus, interni hominis candorem, indeficiens pro Christo patiendi desiderium, verum mundi contemptum, laudabile sui odium, & perfectum Dei, ac proximi amorem iure testamenti relinquo. Realiter proficientes moneo, vt montem euangelicæ perfectionis feruenter conscendant quantum possunt plusquia semper debent. Iesus Chri-

ſtus crucifixus ſit ſemper amor meus. O bone Ieſu quan do in me erit illa dies, quæ ſine fine dies. Viatoribus ad Deum vtiq; grandis ſemper reſtat via. Perfectos roga tos volo, vt mei homunculi inutiliſq; Dei ſerui in ſuis orationibus memores ſpirituali exemplariq; manuductio ne alios adiuuent. Enitantur inſuper, vt ſic luceat lux eorum coram hominibus, quòd videntes bona opera eorum glorificent patrem, qui in cœlis eſt. Feruentibus eorum feruore congaudens ſalubriter inuideo eos humiliter obſecrans, vt pro me peccatore Deum oratum habeant. Tepidis, quos multipliciter demones inuoluunt eorum nouitatem, & ſpiritualem calorem ſitiens compa tior. Eos qui ſeminant in carne (ex qua qui carnis curam faciunt in deſideriis, metunt corruptionē) ex corde peropto, vt ſuæ miſerabilis captiuitatis iugum reſcipiſcentes excutiant. Cunctis, qui Chriſtiana profesſione cenſentur, fidem Deo in baptiſmate datam vt ſeruent, cum etiam ſeruanda ſit hoſtibus (in his tamen, quæ animarum ſaluti nullum præiuditium inferunt) confidenter ſuadeo: ne peccatis filium Dei conculcent, eius purisſimum ſanguinem polluant, ſpiritui gratiæ contumeliam faciant, & adhuc Chriſtum crucifigentes in ſemetipſis in vacuum gratiam Dei recipiant. Temporali proſperitate florentes moneo, vt humiliter ſe gerant, quia cum augentur dona rationes etiam creſcunt donorum, quia mors petit pauperum tabernas regumq; turres, quia potentes etiam potenter tormenta patientur, quia terrena fœlicitas multis amaritudinibus reſperſa eſt, vt ipſa patet experientia, & quia diuites huius ſæculi facile incidunt in laqueos diaboli, & deſideria multa, quæ mergunt hominem in interitum

ritum & perditionem. Transiturus Dominus de mundo ad patrem nolens ab intestato decedere suis reliquit crucem in terris deferendam, vt in cœlis hæredes essent quidem Dei coheredes autem ipsius Christi. Hinc afflictos hortor, vt verè orantes humili confidētia ad Deum confugiant scientes, quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cœlorum, quòd non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis, ꝙ leue est & momentaneū id quod patimur in præsenti, sed æternum gloriæ pondus operatur in nobis, & quòd mala, quæ hic patimur, ad Deum nos ire compellunt. Diuitibus consulo iuxta Apostoli verbum nō sublime sapere. (Nemo autem miretur, quòd in hoc Testamento omnium status percurram, publicam enim personam gerens, & omnium salutem sitiens publicæ animarum vtilitati studeo) neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, bene agere, facile tribuere, pauperibus quæ habent hilariter, vt Dei dispensatores cōmunicare, & in cœlis sibi elemosinis thesaurizare, vt verā vitā consequantur in Deū diuites. Pauperes hortor, vt de manu domini paupertatis onus suscipientes, illud eius amore æquo animo ferant, ad cœlestes aspirent diuitias, & Christum pauperem pauperes imitentur. Sanctissimo Patri, ac piissimo pastori vniuersalis Ecclesiæ genibus flexis gregem sibi creditum humiliter offero, & perfusus lachrimis internis saltem eius sanctitati supplico, vt illum sibi cum Dei honorē catholicaq; veritate & diuino cultu commēdatum habeat pro Christi gloria. Peccatores omnes omnium peccatorum miserrimus ad pœnitentiam adhortor, Hæreticis, vt ad sacrosanctę Ro-

obediant. Hinc in eius rectitudine fidei, vbicunque domino placuerit vitam cum morte commutare decreui. Huius autem mentis meæ propositi catholicos omnes in die iudicij, in ipsiusque facie militantis & triumphantis ecclesię testes esse cupio, quod in me dominus (sicut illud ego voto, iuramento, meritò, & iure profiteor) inuiolabiliter conseruare dignetur pro sui nominis gloria. Amen. Illis parcat altissimus, qui nulla habita ratione tot laborũ, quos pro Christi fide, animarumque salute indefinenter exhausi, suæ passionis impulsu compluribus iniustissimis in me inuehuntur infamijs. Testor coram Deo & hominibus tamquam vitam cum morte nunc commutaturus ad obturandum ora malignantium, quòd omnes & singulas huiusmodi hominum adinuentiones de facili, si audirer, & sanis rationibus legitimisque probationibus, etiam iudicialiter, si opus esset, discussis, ita diluerem, ac de ceruicibus meis excuterem, quòd illicò in nihilum redigerentur, quòd statim mentita esset iniquitas sibi, & quòd mea magis elucesceret innocentia (omnia.n.mea in luce clarescunt,) sed diuina pietate fretus ipsaque veritate, ac propriæ conscientiæ testimonio cuncta silentio inuoluam paratus Dei gratia ad maiora sustinẽda grauioraque certamina subeunda, ex quo omnes qui pie volunt viuere in Christo persecutionẽ patiuntur, & per multas tribulationes oportet nos introire regnum Dei, præsertim cum christiani sit causam suam Deo committere, & innocentiam, & cum teste Chrisostomo super c. 22. Mathei impossibile sit, vt quis rationem reddendo placeet homines malos semper.n.malignitas ex vna parte confusa, & meritò conuicta alium sibi nocendi aditum inuenire cona-

gnos vbiq; clarescit. Regi sæculorum immortali sit soli honor & gloria. In quorum omnium fidem & testimonium compos mentis scribi & confici hoc meum vltimũ Testamentum, illudq; infrascriptorũ Notarij & testium subscriptione muniri volui, vt limpidius mens mea cunctis innotescat pro Christi gloria, qui meus finis est amor & desiderium ipsius munere.

Ego Laurentius Dauidicus, quo dictáte notarius scripsit in præmissorum fidem manu propria me subscripsi.

Ego præsbiter Petrus Charatus Bellizonensis Morbenij Curatus testis rogatus præmissis præsens manu propria me subscripsi.

Ego Bernardinus Rusca de Morbenio testis interfui.

Ego Vincentius Guarinorius Morbeniensis vocatus, vt interessem pro præmissorũ testimonio me subscripsi.

Ego Petrus Caluus fidem facio ita esse prout supra continetur.

Ego Io. Andreas Schenardus de Morbenio legum professor ipso testatore rogante eum ita disposuisse vt supra exaratum est pro fide subscripsi manu mea.

Ego Ioannes Petrus Rusca filius quondam D. Francisci de Morbenio publicus Imperiali auctoritate Vallistellinæ Notarius hoc religiosum Testamentum R. D. Presb. Laurentij Dauidici rogatus publica forma & fide approbare manu ꝓpria scripsi anno M.D.LX. die XXX. Mensis Iulij apposito tabellionatus mei signo & subscripsi.

Ego F. Dominicus Pusterla Inquisitor hæc omnia meritò comprobanda conspexi.

quia ſemper debet. Hic eſt .n. Mons, in

Aſcendat quilibet quantum poteſt pie viuendo plus



quo bene placitum eſt Deo habitare in eo.

MONS EVANGELICAE PERFECTIONIS.

HVMILIS AD EVNDEM PIVM.IIII. PONT. MAX.

DE MIRA EIVS DIGNITATE EIVSDEM R. D. LAVRENTII Dauidici Peroratio.

PIAE Dignationis ac benignitatis, quæ in ea refulgent, tam laudabili fama permotus Celſitudinẽ veſtram his meis alloqui non vereor, quo minus ad ipſam dirigam quod charitas ſuggerit. Gregis. n. ſibi crediti nec valeo nec poſſum diſſimulare periculum. Eam hominem ſanæ fidei & doctrinæ, in diuinis pariter ac humanis prudentem omnes ſemper extitiſſe nouimus. Hinc ad Sedem ſuam Apoſtolicam confidenter confugio, vt multorum vulnera ſibi ſpiritali omniũ medico, patri & domino detegam. Si quid apud eam poteſt imperfecti homunculi & peccatoris oratio. Quanto hæc reuerentiali timore conſcribam nouit, quem in ipſa timemus, altiſſimus. Sed vt audeam charitas adhortatur, quæ omnem teſte Ioanne foras mittit timorem. Salutem & pacem in Chri-

sto sibi peropto, vt qui suæ Amplitudini tam sublime regnum dedit in terris, illud æternum sibi non deneget in cœlis. Hac nostra tam lachrimabili tempestate Beatissime Pater honorem Dei non mediocriter lesum & orthodoxe fidei candorem non parum denigratum intuemur. Ecclesiæ ergo vobis desponsatæ vestræ Charitatis viscera consulant. Quousq; relinquetur virga peccatorum super sortem iustorum, qui sublimitate vestra operante stare vellent in magna constantia aduersus eos, qui se angustia uerunt. In clerum insurgant layci, quia in eo forte plures laborant vitijs, quæ hæreticos excitant contra montes Armeniæ.i. Reuerendiss. Prelatos ecclesiæ, super quos requiescit arca Dei. Insolentiæ clericorum mater est Episcoporum negligentia in suo plurimum offitio deficientium, dum promouentur indigni, ditantur ignari & mali eorũ malis non correctis sustinentur. Hinc prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Mens.n.delicijs assueta nec disciplinæ sarculo exculta multas contrahit sordes ita, vt alienæ semper vitæ detrahant & suam negligant. Scio hominem (& complures talium noui) qui est tamquam lumen absconditum, quiq; verbo & exemplo multos posset ad vitam trahere & sibi tamen soli viuit in domino. Ponatur super candelabrum, vt sit lucerna lucens & ardens omnibus, qui in domo sunt ecclesiæ. Non relinquatur amplius sub modio. Ponatur tamen vbi non preualeat vis ventorum, ne forte (quod absit) à malignantibus extinguatur. Hæresum hodie serpit venenum (& ille est malleus hæreticorum) nisi sequatur pariter & antidotum, multos perimet. Contra lupos Christi gregem dirripientes emittas vndiq; canes valentes latrare. Messis

quidem

quidem multa operarij autem pauci & feruenter latrantem compescunt aliqui. Eum soluas vt fructus afferat pro Christi gloria, vt inquam ab ouili dominico lupos arceat, vt lutherizantium calliditatem detegat, exploret insidias, confirmet catholicos & nostram fidem, vt solebat, promoueat. Sed boui trituranti teste Moyse per Paulum adducto vbi scribit ad Corinthios, os non alligatur his domino ordinante de euangelio viuere, qui euangelium annunciant eidemq; deseruiunt. Ad te clamat lachrimoso gemitu, quia super dorsum eius fabricauerunt peccatores & ita prolongauerunt iniquitatem suam, quòd superbia eorum ascendit semper, dum volunt eum iniuste peremptũ. Ad te confugit clementissime Pater, qui es amicus sponsi, custos sponsæ, & fidelis pastor ouium Christi. Eius ergo prouoluto pedibus benignitas vestra subueniat, ne deficiat in dolore vita sua, & anni eius in gemitibus. Nunquid petit episcopatum, qui ter saltem episcopari renuit? Nunquid non innotescit pontifici, cuius ingenita eum mansuetudo diligit? Et qui eum toties fouit & benigne suscepit, dum Cardinalis existeret? Si Charitas vestra resipiscentibus hæreticis & infidelibus suam infidelitatem exuentibus ineffabilis clementiæ gremiũ aperit, illud viro catholico suo fideli filio & orthodoxæ fidei professori post tot exhaustos labores tot annis pro Christi nomine ob aliquorum oblocutiones claudet? Nõ vtiq;. Adhæc hæretici sedem Petri, quæ vestra est legitima successione, diu noctuq; impugnare nõ desinunt, iniuriam Christo & eius fidei inferunt, irruunt in diuina, sacra diripiunt, contra veritatem ipsam in triuijs disputant, innumera catholicis auribus dissucta passim effun-

dunt. Obſtruatur ergo os loquentium iniqua. Intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Nouū populis cudunt euāgelium, nouā fidem diſſemināt, aliud fundamentum ponunt preter id quod poſitum eſt. Tot Sathanæ ſunt & transfigurant ſe in angelos lucis vt exitiali ſuaſu ſuo plurimos ſeducant, peruertant & decipiant. Inſtar Goliath catholicorum exprobrant agminibus & eo audatius, quo Dauid non adeſſe ſentiunt. Video eos exaltatos ſicut cedros Libani, vbiq; pro luce tenebras ingerunt. Doctores ſacros ſuggillare non deſinunt ſuas adinuentiones salubri eorum doctrinæ preponunt & fidei. Tu es verus Petri ſucceſſor in plenitudine poteſtatis. Contra ipſam acriter inuehuntur. Liberes Chriſti ſponſam à labijs iniquis & à lingua doloſa. Super immobilem petram catholicæ Eccleſiæ firmitas inuiolata conſiſtit, quam vtiq; inconſutilis tunica redemptoris prefigurabat. Illi pepercerunt milites, huic non parcunt hæretici, qui verbis confitentur ſe noſſe Deum factis autem negant: quia ſunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati & blaſphemi. Eorum Deus venter eſt, dum terrena ſapiunt in reprobum ſenſum traditi, & dum querunt quæ ſua ſunt non quæ Ieſu Chriſti. Contra eccleſiæ vnitatis firmitatem fremunt hæretici & meditati ſunt inania ſed nō preualebunt aduerſus eam. Non deſunt adhuc qui ardore charitatis ſuccenſi, & zelo rectitudinis ducti ipſam defendere & eam in cordibus aliorum proprij ſanguinis effuſione plantare non dubitant, ſed nonnullorū tepiditate paruipenduntur, pro nihilo habētur & talibus tamen dominici gregis duces indigent, quia plures vbiq; ad orthodoxæ veritatis impugna

gnationem insurgunt, subintroierunt & oriuntur, quorum dogmata condignam in hoc sacro Concilio Tridentino errorum suorum damnationem excipiant. Tribulatio & angustia inuenerunt diligentē sinceritatem vestram, malignātium aliquorū opera impulsus est vt caderet, sed dominus suscepit eum. De vestra erga eum beneuolentia gauisus est gaudio magno valde & quòd vos constituerit dominus dominum domus suæ & principem omnis possessionis suę. Non indignetur soliditas & suauitas vestra, si calami vitio velociter scribentis eam aliquando singulariter alloquor. Deum.n.ipsum & singulariter oratione prosequimur. Hac spe ducor, quòd Benigna Maiestas vestra ob hoc suum non confundet filium, quæ consolari solet singulos. Dignitas vtiq; sua est omni laude dignissima, omnes laudabiles tituli meritò sibi conueniunt. Domini.n.in terris locum tenet. Sed multa ommittā te omni reuerentia prosequens, ne aliquibus tibi videar adulari & quod Christiana simplicitas suggeret proferam. Filijs consulat paternitas vestra, quia hodie plures vigilant subditorum euacuandis marsupijs quam vitijs extirpandis. Animarum nulla habetur ratio. Sordescunt multi qui aliorum sordes abluendi funguntur officio. Multis summa ignominia est testimonium suæ conscientiæ. Paucis gloria. Qui boni pastores sunt gaudeant, quia eorum merces copiosa est in cœlis. Qui mali timeant, quia periculum magnum sibi imminet in terris. Qui furantur, mactant & perdunt ingemiscant, quia eorum locus latè patet in pœnis. Christi.n.flagella, sputa, & opprobria, clauos, mortem, crucem & lanceam in fornace auaritiæ conflant, voraci ingluuie detrudunt in ventriculum, & venalia habent

flagitia, modò crumenas exhauriant. Heu in quot parochijs dictu turpisſima in vtroq; ſtatu conſpiciuntur, hinc multorum contemptui datur miniſterium. Plures oues ſibi creditas magis deglubunt quam tondeant, quam paſcant diripiunt & quam tueantur deſerunt. Hinc pauci ponunt, vt tenentur, animam ſuam pro ouibus ſuis & plures potius quærunt gloriam ſibi quàm Deo ſeminantes in carne eiuſdem curā facientes in deſiderijs & venantes quæ ſua ſunt non quæ Ieſu Chriſti. Cum in plurimorum corde Petri nauicula, cuius gubernatum meritò Beatitudini tuæ delegauit Altisſimus, hodie plurimum fluctuare videatur (nunquam tamen ipſo protegente domino naufragium patietur) mihi Amplitudinis tuæ fideli in Chriſto filio eam in domino rogatam habere libuit, vt viſitet vineam iſtam, quàm plantauit Chriſtus ſanguine ſuo & tuæ fidei credidit: quia exterminauit eam ferè aper de ſylua tot hæreſibus vndiq; prodeuntibus & ſingularis ferus humanæ ambitionis ac cupiditatis depaſtus eſt eam, quā & vindemiant omnes, qui prætergrediuntur viam mandatorum Dei, dum dominatur eis omnis iniuſtitia. Reſpice de tuæ ſublimis Maieſtatis ſolio quot nunc vigente huius tempeſtatis hæreſi Lerneam Hydram præſeferente à veritate auditum auertunt & ad fabulas conuertuntur & quot habent ſpeciem quidem pietatis virtutem autem eius abnegant. Ab omnibus Dei ſeruis Eccleſiæ reformatio iamtot annis peroptatur, ne chriſtiana reſpublica penitus collabatur hæreſibus vbiq; inſurgentibus & abuſibus ſæculi in immenſum vndiq; prodeuntibus, ſed ſi per Beatitudinem tuam an per alium ſucceſſorem ad id ſe accincturus ſit dominus, ambigitur. Hac tamen ſpe ducimur

mur tuæ piæ mentis intuitu. O Pater pijsſime, quòd in domino confidens (in quo omnia poſſumus) tam laudabilem breui aggredieris prouinciam. Angelus es (& Angelicum Papam omnes fantur & appetunt) vt te duce in carne præter carnem viuente ad ſupernam pertingamus Hyeruſalem, quæ conſtruitur in cœlis viuis ex lapidibus & illuc introducitur omnis, qui ob Chriſti nomen hic in mundo premitur. Tunſionibus.preſſuris expolliti lapides ſuis coaptantur locis per manum artificis, diſponuntur permanſuri ſacris ædificijs. Medices es, vt internos omnium languores cures, quod munus obeundum clariſsimæ magnus ille Claritati tuæ contulit, qui de cœlo venit, medicus, quia magnus vbiq; iacebat egrotus. In eius vulneribus infirmitates agnoſces, ab eiſdem hauries remedia, in ipſis curatas repones animas, ad illa te duce in aduerſis omnes confugient. Pius es pie viuens in hoc ſæculo & ad veram pietatem animas Illuſtriſſ. Serenitati tuæ creditas exercendam excitans. Quartus huius fœlicis nominis es Pontifex, vt quatuor cardinalibus virtutibus, quibus adeo effulges, eaſdē inſtruas, ad quatuorq; Euangeliſtarum doctrinam deguſtandum adhorteris, in quo Pietatem tuam propriæ aliorumq; ſalutis memorem non defuturam ſperamus. Scit namq; ſe pro omnibus redditu ram Altisſimo rationem. Hinc omnium ſalutis ardet deſiderio, laudabiliter vocauit cœtum, coadunauit ſenes, congregauit Concilium, vt ſanctificet Eccleſiam, extinguat hæreſes & Orthodoxam fidem promoueat, ad quod impellitur à diuini amoris incendio. Sicut Maximus es dignitate ita ſuper omnes polles ſanctitate (in te.n.refulget Sanctisſimus) eniteſcis charitate, cōſpicuus es Pru-

dentia, clarescis Iustitia, emicas Clementia. Nunc in sensu meo in hoc teste Deo adulationibus non inseruio (vt nonnulli fortè opinantur) sed more medicorum ad nauseam euitandum cum propinant remedia, ad maiora in domino Benignitatem tuam excitans veritatem in eodem profero. Nec vt illam instruam hæc me dixisse volui. Nō .n. indiget vt eam quis instruat. Si tamen aliqua ad ipsam spectantia discere peroptat, Diui Bernardi opus aureum de Consideratione ad Eugenium Pontificem Maximum diligenter reuoluat, humiliter pertractet & sæpe præ manibus habeat. Illud namq; sibi plurimum prodesse conspiciet. In eo tamquam in speculo quid sit natura & quid dignitate sibimet innotescet. Nonnulli terrenas colunt vineas voluptatis studio. Tua autem vineam Domini Sabaoth Firmitas colat cunctorū curam gerens ad salutem. Ipsa .n. vniuersalis Ecclesia toto terrarum orbe diffusa ad tuam pertinet Amplitudinem. Quoniam autem Pijssimā mentem tuam iam & à cunctis peroptatam reformationem sitientem noui, dum habes nomen consequens rei, his meis confidenter efficiam, vt Sanctitati tuæ sole clarius clarescant quæ illi inter cætera immineant peragenda vt eius opera cœlum nouum, & terra noua desiderabili reformatione existant in Ecclesia, & hæc conscribam, quia ferè patent omnibus, & velari nequeunt (quò autem vulgus, quod incertum studia in contraria semper scinditur, & vbi intenderit plurimum potest, hæc magis lateant, latino vtor eloquio) & nisi doctorū nuda & aperta essent oculis, ea ipse scriptis ad Charitatem tuam directis lachrymis perfusus non detegerem, ne crabrones irritarem .i. nostris iam ceruicibus imminētes hæreticos. Sed his maiora

&

& plura sciunt & inuentis addunt plurima. Hinc indies magis contra Apostolicam sedem tamquam canes rabidi inuehuntur, quod Deus scit quo me interius dolore con ficiat. Te verum Christi Vicarium Petriq; successorem (dicẽte quoq; Hiero. ad Damasum scribente. Cũ successo re Petri loquor) fateor, veneror & firmiter teneo, sicut his omnibus inuiolabiliter innitor, quę Sacrosancta Ro- mana tenet ecclesia, in cuius fideli gremio vitam ducere prestante domino & eandem con morte commutare de- creui. Et sic testor in verbo veritatis coram Deo & homi- nibus, ideo quæcumq; scripsi & in meis concionibus ha- bui eius semper subiеci iuditio, quia diuino irradiata splendore errare non potest. Tu insuper es Pater patrum, Episcopus episcoporum, Maximus omnium prelatorum & terrenus dominus in terris dominantiũ. Absit in omni bus adulatio (cuius consuetudinem non habeo) & ipsa veritas elucescat. Tibi creditę sunt claues regni cœlorum, quibus claudis & nemo aperit, aperis & nemo claudit. Ea fulges inter homines à domino tibi tradita potestate, vt quicquid decreueris in terris decretum sit & in cœlis. Tu es illud luminare maius, quod præest diei vniuersæ .s. Ecclesiæ: quod cæteris lumen cõmunicat syderibus. i. Christicolis omnibus quid eis tenendũ, quidue credendũ sit suggerit. Tu es illud immobile saxum, quod teste Am brosio totius christiani operis ædificium continet. Ad Celsitudinem tuam omnes appellare possunt, ab ea nul- lus, quia præter Deum inter natos mulierum te maior in terris non reperitur, ideo præemines singulis. Sub cœlo iudicem non habes, sed altissimus solum causam tuam dijudicat, pertractat & discutit. Tibi viatores omnes de

iure diuino subesse tenentur, omnia dominus subiecit in terris sub pedibus tuis. Tu viuentibus thesaurũ aperiens Ecclesiæ confers indulgentias, defunctis fidelibus salubria donas suffragia & comprehensores lætificas recto regimine. Omnes tibi sancti suis faueant intercessionibus, vt cum ouibus Soliditati tuæ creditis eorum iungaris consortio. Cunctos ad hæc lector iocundissime Papa iudicare potest & omnium causas agnoscere à mortalium nemine iudicandus. Obmutescant ergo hæretici, qui eum iudicare præsumunt & quod peius est contemptu prosequi. Si priuatis priuatos iudicandi potestas adimitur dicente Domino. Nolite iudicare & non iudicabimini. Et Paulo. Tu quis es, qui seruum iudicas alienum? Domino suo stat aut cadit. Quanto magis iudicare summũ Pontificem à Domino delegatũ prohibetur? Papa maior est officio Moyse, maior & angelo. Moysi.n. plebs vna Israelitica creditur, Papæ vniuersa committitur Ecclesia. Angelorum autem cui vnquam dixit Christus. Quæcunq; ligaueris super terram erunt ligata & in cœlis & econuerso. Ei ergo quo ad hanc tam sublimem auctoritatem & potestatem cedunt omnes angelici chori. Papa gloria & honore in terris coronatur. Gloria.s. commendationis, quia non solum beatus sed etiam beatissimus est nuncupatus, & honore.s. venerationis, quia ei pedes tamquam vero Christi Vicario deosculantur homines. Eum insuper dominus constituit in terra super opera manuum suarũ. Super eum singularem curam habet & prouidentiam. Colvmbam deargentatam .i. sacris eloquijs eruditam ei desponsauit Ecclesiam. Omnis alia potestas est à Deo per ipsum, ideo eam potest conferre & adimere. Deus omnes

apo

apostolos episcopos constituit & cōsecrauit, eorum cuilibet suam gubernandam dedit Ecclesiam. Sed Petrum, cuius successor est quilibet Papa canonice electus, ordinauit Episcopum episcoporum, omnes ei regendas commisit ecclesias. Hinc iure omnibus imperat, doctor, magister & diffinitor est omnium. Super omnem potestatem habet viatorem, quia verus est in terris Christi Vicarius, qui super omnem creaturam iudiciariam potestatem sua passione promeruit. Ideo apud Matheum protulit. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et Paulus. Christus humiliauit semetipsum vsq; ad mortem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum. Et omnis lingua cōfiteatur &c. De iure diuino summi Pontificis ministri & executores omnes tēporales sunt Principes, ideo eorū sæcularis brachij cum opus est vtitur potentia. Eiusdem potestas tanto maior & nobilior est imperiali, quanto carne dignior est spiritus, argento excellentius est aurum & Luna Sol splendidior esse conspicitur. Papa post Christum est vniuersalis sponsus & caput Ecclesiæ, & sic quilibet viator ipso iure ei subesse tenetur. Sed vt rem paucis absoluam. Mirabilis est auctoritas, venerabilis Maiestas Summi Pontificis, ineffabilis est potestas sibi credita. Reliquum est, vt qui sedet in Petri Sede iugiter respiciat in faciem Christi sui, in vera se exerceat humilitate, summa fulgeat charitate, pietatem con iustitia profiteatur & illum perfectè, cuius locum tenet, imitetur. Qui Christi sunt summo Pontifici verè subsint & obediant, eundem ex corde colant & venerentur, illum

omni reuerentia & dilectione prosequantur, pro illo sæpe Deum oratum habeant, sacros canones & quicquid successiue constituerit fideliter obseruent, eum habeant in patrem sicut ab ipso habentur in filios. Si aberrare nolunt ducem sequantur, quem nobis dedit Altissimus. In nauicula permaneant quamuis ventis vndiq; flantibus fluctuare videatur, quia nisi permanserint omnes simul peribunt. Dum lucem habent vt filij lucis ambulent prouidentes bona coram Deo & hominibus. Et tu Beatissime Pater nostræ timidæ dirige nauis iter, consule filijs, consoleris Ecclesiam, quia plorans plorauit in nocte hæreticæ prauitatis insurgentis, totq; abusuum vndiq; erumpētium & lachryme eius adhuc sunt in maxillis eius. quia vix est qui consoletur eam ex omnibus charis eius. Hinc te talem erga illam in omnibus reddas, qualem te futurum speramus & exurge in adiutorium mihi, quia vndiq; sunt angustiæ. Inter catholicos propter aliquorum malignantium rabiem, qui in me iniustè hostiliter inuehuntur, tutum me non esse video, inter hæreticos immorari nolo, nec debeo, nec possum, quia me tamquam eorum hostem & maleum exitiali odio prosequuntur. Eos .n. iugiter impugnaui. Sic quo me vertā nescio. Esto igitur refugium meum & protector meus, quia si tu eris adiutor meus, quē timebo? à quo trepidabo? In verbo tuo laxabo rethe & tua fretus clementia fiducialiter agam in eo. Nisi ille vir nunquam satis laudatus & meus in Christo fidelis Mecœnas mihi ferè naufraganti portus extitisset, res infœliciter Dauidico successisset, qui Celsitudinem tuam ex corde diligit, colit & veneratur. Hinc illi confidenter se cōmendatum habere voluit. O bone Iesu

illumina

illumina cor meum gratiæ tuæ splendore & vt in laudibus misericordiæ tuæ incessabiliter exultare merear, vniuersa.quæ mihi aduersantur,expugna,& sic hostium sublata formidine assidua me protectione conserua, vt tibi tota mente deseruiam.Maria virgo virginum,angelorum speculum, quæ non habes maculam neq; rugam,quæ es amicta Sole, quę habes Lunam sub pedibus,& in capite gestas coronam stellarū duodecim, quæ es omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster, cui tota se infudit plenitudo gratiarum,quę fuisti sine corruptione fœcunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera: tam sancta,vt ad te dignaretur venire Spiritus sanctus, tam speciosa,vt te Deus sibi eligeret in sponsam, & tam casta, vt esses mater simul & virgo, me à periculis cunctis libera inter omnes mulieres benedicta. Ostende pro me filio pectus & vbera & ille ostendat patri latus & vulnera. O angelorum gaudium, ò tutum refugium peccatorum, ò afflictorum solatium, & scala sanctorum omnium altissimā Trinitatem pro Ecclesia iugiter oratā habeas vt destructis erroribus vniuersis illi secura seruiat libertate. O immaculata & ab omni labe peccati preseruata virgo dulcis,clemēs & pia,vt esses inter filias Adę sicut Liliū inter spinas,adiuua Pium.IIII. Pontificem Maximū,vt filio tuo iugiter famuletur in eius pascendis ouibus & nullis tentationibus ab eo separetur. Maria virgo viginum redde nobis semper tuū placatum filium.Sicut non decuit,vt esset filius virginis,nisi Deus, sic non decuit,vt esset mater Dei nisi talis & tanta virgo, qualis & quāta es tu,cuius pulchritudinē sol & luna mirātur,cuius immaculatę cōceptionis plures quā sint dies in

anno adduci poſſent auctoritates & rationes. Sed ne aliquis odio habeat me gratis & hoſtiliter perſequatur, hoc tam ſingulare myſterium & ineffabile diuinitatis archanum de tua mirabili conceptione cœleſti curiæ diffiniendum relinquo. Tu autem dignare me laudare te virgo ſacrata. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Amen. Nunc ad te viſibile caput Eccleſiæ redeo Pie clementisſime. Tu es teſte Ber. verus hæres Apoſtolorum, princeps epiſcoporum Dei in terris vicem gerens, primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraam, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Alijs Epiſcopis aliquæ asſignatæ ſunt oues Chriſti, tibi tamquã eorum maximo creditæ ſunt vniuerſæ. Non ſolum ouium paſtor es ſed paſtorum. Sed cum augentur dona, rationes etiam donorum creſcere te non prę terit. Tanto ergo eſſe (vt ſcribit Gre.) humilior quiſq; debet ex munere, quãto obligatiorem ſe eſſe cõſpicit in reddenda ratione, cum Deus præſertim ſemper det & augeat humilibus gratiam. Non minus ſummus es animo quam gradu, dum te præeſſe, vt proſis conſpicio ex quo te conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt des illis eſcam in tempore. Et cum tamquam fidelis Dei ſeruus & prudens ſæculi abuſus, qui tibi diſplicent, prorſus eliminaueris, malignantium hæreticorum obmuteſcet temeritas, Dominum benedicent fideles laudabilem & glorioſum in ſæcula, res ſacri Concilij fœliciter ſuccedent, infideles ad pedes tuos humiliter prouoluentur, vt ſacrum baptiſma ſuſcipiant, ambulabunt gentes in lumine tuo & nunc aberrantes reges in ſplendore fidei tuæ, Filij tui de longe venient quãdo conuerſa

uerſa

uersa fuerit ad Dominum in te eius vicem gerente fortitu do gentium, quando plures venient de finibus cor suum simpliciter deferentes, vt fidem induant & laudem Domino annunciantes, quando in hæresim prolapsi à te veniam implorabunt ad pijssimum gremium tuum confugientes & catholicam veritatem profitentes errores suos detestãtes. Tũc videbis & afflues, mirabitur & dilatabitur cor tuũ. Sẽper honos, nomẽq; tuum, laudesq; manebũt. Immortalẽ.n.gloriã cõsequeris. Respice ergo super gregẽ tibi creditum, quomõ messis est multa, operarij autẽ pauci & spiritualibus doctisq; viris pręcipe, vt suas cõsolationes deferentes eant in vniuersum mundũ sacrũ Euangelium omnibus nationibus enucleantes. Prędicabũt.n. dominõ cooperãte & sermonẽ confirmãte sequẽtibus signis. Nã semper dat voci suæ vocem virtutis, & vox domini est, quæ illius tantũ honorem sitit ac animarum salutem. Et semper dat verbum euangelizantibus cum non seipsos. Sic tuam exonerabis conscientiam. Tibi siquidem æternam fœlicitatem peropto. Hac mea humili peroratione Beatissime Pater Sanctitatis tuæ pedibus prouolutus posthac vitam silẽtio ducturus (nisi aliter ab ea mihi iniunctũ extiterit) conscientiam quoq; meam exonerare volui. Ideo spirituale Testamentum meum condidi ad Amplitudinem tuam directũ tamquam pœnitus sæculo moriturus. Et si miserimus peccator existam, Dei cultum, animarum salutem & catholicam veritatem orationibus saltem promouere non desistam. Quo ad concionatoris munus obeundum præteritis laboribus confectus pace tua receptui canere decreui. Non me tamen pœnitus obedientiæ subtraho, quia si omnis potestas à

domino Deo est, tanto magis Ecclesiastica & summi Pontificis, cuius sacris pedibus me totũ pro Christi nomine resignaui. Maiestatẽ tuã laudibus prosequor, quia si linguis rethorum omniũ loquar & oratorũ, haud eam dignè laudare sufficerem. Ad hoc etiam interius impellor, tum quia meritò Summus Pontifex in domino est laudabilis & omni laude dignissimus, tum quia laus ea, quæ innuit, hominem ad peragenda compellit. Aureis.n. (vt fertur) calcaribus vtitur. qui hominem laudibus ad feruenter pro Christi gloria laudabiliterq; operandum excitat, ne super eum demum puteus iuxta prophetæ verbum vrgeat os suum, ne absorbeat eum tartarus. Scriptum est enim. Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Sed exquò cognomine olim Medices extitisti, item paucis absoluens, quibus nũc mundus infirmitatibus laboret, ostendam. Qui .n. operam medicantis expectat teste Boetio oportet, vt illi vulnus detegat suum vel alterius, vt curetur. Spero autem quòd ita spiritualem Phisicam in tot morbis animarũ curandis Sublimitas tua profitebitur, q illud nullus ei iure obijcere poterit. Medice cura teipsum. Te namq; non præterit meritò tanta Celsitudine decoratum quanta Sanctitas deceat Sanctissimum nuncupatum. Sed ad mundi egritudines detegẽdas, vt me lachrymis perfusum viriliter, cõfidenter & humiliter accingam, tempus exigit. Qui ambulat simpliciter Beatissime Pater, ambulat in Domino confidenter. Totus primò mundus ita in maligno positus est teste Ioanne, quòd qui piè volunt viuere in Christo, ab eo semper pressuram habent, persecutionem patiũtur (vt inquit Paulus) & iugiter tribulos sustinent, vndiq; confodiuntur & passim amaritudines

dines hauriũt. Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, ita quòd amicitia eius hominem Dei inimicum & ꝓpriæ salutis immemorẽ constituit, ne displiceatur hominibus, à nullo ferè fit hodie fraterna correctio, ex quo magna animarum strages subsequitur. Multũ obest ꝓximo qui ei non prodest ipsum corrigẽdo cum potest. In omne peccatorũ genus prolabi pro nihilo habetur & qđ peius est declinant homines cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Omnes ferè terrenis bonis inhiant: pauci quærunt spiritualia, curant interna, cœlestia appetunt. Multi multa sciunt & seipsos nesciunt, alios inspiciunt & seipsos deserunt, pauci querunt Deum veraciter, realiter se discutiunt, suum explorant interiorem hominem, sibimet innotescunt. Plures accurrunt ad honores, ad delitias, ad dignitates, ad diuitias, rari percurrunt Christi vestigia ad ꝓpositũq; sibi certamen aspicientes in ipsum auctorem fidei, qui ꝓposito sibi gaudio talẽ à peccatoribus pro nobis sustinuit crucẽ. Omnes vellent cœleste premium, nullus ad cursum se accingit & preliũ. Vix reperitur, qui viriliter agat in via Domini, qui cum inuisibilibus hostibus congrediatur, qui verè Deum ac proximum diligat, qui sui crucifixionem amplectatur, qui se in virtutibus exerceat, odio vitia prosequatur & seipsum perfectè Deo resignet talis esse studens, qualis videri appetit. Omnes diligunt munera, querunt quæ sua sunt, curant corpora, sensibus inseruiunt, negligunt animam, quæ tamen insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata fide, particeps rationis, capax æternæ fœlicitatis, redempta Christi san-

guine est deputanda con angelis, sicut habet angelum ad sui custodiam delegatum. Hinc magnam reuerentiam ei quilibet teste Hieron. vbiq; exhibere tenetur, ne eo pre sente committat, quod homine presente non auderet. Pauci ac si immortales essent se cogitāt morituros & tamen Statutum est omnibus hominibus semel mori, mille modis miseros mors rapit vna homines & latet vna dies singulos, vt ab eis omnes obseruentur dies. Bula est vita hominis (vt trito inest adagio) vapor ad modicum apparens, similis hospiti vnius diei & instar flammæ paleæ. Pauci student in Christi vulneribus, vt ad eius inardescant imitationem & tamen hoc est nescire sine Christo plurima scire. Plures gaudēt salutari dominationis vocabulo & nunquam enituntur, vt sibimet virtute animi perfectè dominentur pro Christi gloria. Pauci conantur, vt suam interiorem domum ædificent in domino, quò ipse dulcis hospes animæ eos inhabitet. Fœlix qui defert imaginem cœlestis Adæ (vt Paulus consulit) sicut prius terrestris detulit. Fœlix inquam qui suam verè emundat conscientiam, recta intentione ambulat in dilectione dignè Deo, qui illicitos omnes cogitatus, vanos & noxios de corde eliminat tenens & allidēs paruulos suos ad petram dicente Hiero. dum paruus est hostis eum interfice. Laudabilis est qui secum habitat, qui affectu creaturas omnes transcendit, vt Deum castè diligat in eiusq; dulci memoria humiliter immoretur & qui mentis feruens deuotione omni diligentia custodit cor suum, animi puritate Deo se gratum reddit, ab eodem iugiter irradiatur, sibi in singulis imperare didicit, sibi displicet, vt Deo placeat, omnes carnis abscindit illecebras, amans nesciri & pro nihilo re-

putari

putari,quia ſic ſibi vilis exiſtēs Deo charus efficitur. Fœlix qui ita ſe totum in Deũ dirigit, quòd eius mẽtalis conuerſatio in cœlis eſt, quòd ſæpe ab eo rapitur, quòd in eius brachijs requieſcit, quòd ſemper de ipſo cogitat, ſæpe de ipſo loquitur, quòd illi ſe in omnibus cõmittit, ad cœleſtia erigit, diuina pertractat & à ſuauisſimo Ieſu totus poſſidetur ſicut eundẽ ipſe interius poſſidet illius gratia. Mundus inſuper Beatisſime Pater ſuos extollit, vt lapſu grauiore ruant, bonos deprimit, Dei ſeruos impugnat, & dum vitia corrigunt veritatem proferẽtes inſequitur, hinc amœna hac Aethruriæ in ſolitudine me continere compellor, vbi ſacris literis operam nauans Deo illius fretus gratia pro poſſe humiliter inſeruio. Vana inſuper maiori ex parte ſectantur homines. Circa momentanea defluunt, æterna negligunt, ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt, ſeipſos tamquam tot Idola mutuò colunt & gloriam, quæ ab hominibus eſt, inuicem querunt & cum tot vitijs vndiq; obruãtur cœlum adhuc conſcendere preſumunt. Sed impoſſibile eſt teſte omniũ ſacrorũ doctorum acie de delitijs ad delitias tranſire, hic ventrem & ibi mentem reficere, terrenisq; ſimul & cœleſtibus frui. Ideo Sanctitatis tuæ eſt eos ad Montem euangelicæ perfectionis dirigere, vt premiſſa imago innuit & ſuggerit. Nunc charitas demigraſſe conſpicitur, dum ſuis potius quã alienis quiſq; conſultũ eſſe vult rationibus. Amplisſima vbiq; ꝓfuſis ſumptibus Chriſti pauperibus fame pereuntibus & nuditate ſæpe ac frigore deficientibus extruũtur palatia. In delitijs molliter viuitur, optima queq; exquiruntur, vt in protractis exhauriantur conuiuijs. Nugigeruli de facili admittuntur, ne quid eorum mẽſis deſit

voluptatis & destituto crucis vexillo superbiæ vbiq; defe runtur & affiguntur insignia. Nunc omnia in Dei contemptum animarumq; perniciem venalia habētur. Multis adulatores his sunt gratiores, qui veris virtutibus decorantur. Honores plus offerentibus etsi enormibus peccatis inuoluantur ac offitia vbiq; ferè digniora & passim offeruntur. Probitas laudatur & alget, & qui vult esse aliquid suspendio dignum aliquid audeat. A primitiuæ Ecclesiæ rectitudine ac feruore deflectitur. Multorum affluit iniquitas & proprij amoris impulsu, qui est arbor mortis in homine, sicut Christus vitæ arbor esse conscribitur, refrigescit charitas. Vnius sæpe impenditur voluptati, qđ multorum subueniret inopiæ. Complures iniustè & fraudibus ad tribunalia protrahuntur, inuidiæ stimulis se inuicem oblocutionibus insequuntur, ad Epicureorū pręscriptum non sanctorum vitam ducunt, quod egenis denegant in comessationibus & ebrietatibus profundunt. Rari sunt Pijssime Pater ex christianis hodie, qui verè contriti sua detestentur vitia, anteactam impuritatem defleant & vitam inculpatam appetant. Nunc diabolus in animarum accinctus perniciem sua tendit rhetia auiditate fallendi, omnium affectus discutit, cōceptus explorat, ventilat curas, scrutatur desideria & ibi magis querit nocendi causas, vbi quemlibet studiosius viderit occupari. Nunc lutherana hęresis nonnullos adeo infecit, vt fidei tantum salutem ascribentes operari renuant, vt gratiam extollentes libertatem hominis ei inesse denegēt, aut prelatos hostili odio prosequentes candorem Ecclesiæ, quæ non habet maculam neq; rugam denigrare conētur. Sacrarum literarum sensus extorquent, cum Spiritusancto

inspirati

inſpirati in illis locuti ſint ſancti dei homines. Tuam mirabilem auctoritatem impugnant, ſed mentita erit tandem iniquitas ſibi. Vt inimici crucis Chriſti ieiunijs detrahunt in errorē iugiter mittentes quos ſeducunt. Hi mente corrupti, reprobi circa fidē & reſiſtentes veritati ſępe veniunt in veſtimētis ouium intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, & diligunt magis tenebras, quam lucem dicentes bonum malum & malum bonum. Nūc in multis victa iacet pietas, quam profiteris, viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus, nō ſocer à genero, fratrum quoqꝫ gratia rara eſt. Medici plures ſunt homicidę ſua qua laborant ignorantia. Legum profeſſores populos expilant nullam ſuæ conſcientiæ habentes rationē. Omne in præcipiti vitium ſtetit. Grammaticalem inſtitutionem callentes puerorum mentes magis fabulis & gentilium adinuentionibus corrumpunt, faſcinant, decipiunt & à Chriſti auertunt veſtigijs, quàm vtilibus ſanctorum exemplis ædificēt, ſacro dogmate inſtruant & bonis moribus imbuant. Non deſunt qui alijs imponunt onera grauia & importabilia, digito autem ſuo nolunt ea mouere. Hinc ſacri Concilij in multis nobis difinitione opus eſt, quamobrem euigilet Sanctitas tua, ſtudeat, enitatur, vt fideliter, humiliter, deuotè, realiter & feruēter fiat pro Chriſti gloria. Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potentisſime. Apprehende arma & ſcutū tuæ ineffabilis poteſtatis & exurge in adiutorium nobis. Reſpice quæſumus ſuper hanc familiam tuam, pro qua dominus noſter Ieſus Chriſtus non dubitauit manibus tradi nocentium ac crucis ſubire tormentū & vide vbi nunc ſit vera Pax & chriſtianorum tranquillitas, vbi ſecura quies, vbi tot animarum refectio. Et quot

iam nostris temporibus suaue Christi ac catholicæ verita tis iugum ceruicibus excusserint. Quot Lutherana hæresis perdidit & fœdauit. Quot enormibus vitijs inuoluuntur. Quot in tepiditatis baratrum detrusi sunt. Quot spirituali fame pereunt, quia non est qui eis panem frãgat, & porrigat. Quot paupertatem professi sunt, & ecclesiasticis beneficijs inhiant, apostolicas aures iugiter pulsant, quò noua extorqueant priuilegia, vt expletis marsupijs splendidam ac curialem vitam ducant, agrumq; agro, & domum domui copulẽt. Quot gregem sibi creditum destituunt, aut prostituunt annuali redditu cõtenti, & luporum faucibus exponunt, vt ambitionis morbo laborãtes ad maiora conscendant, vt carnis illecebris deuicti mondanis delitijs liberius immorentur. Quot Deo militantes sæcularibus se implicant negotijs, lites venantur & sæpe pupillos opprimunt. Quot ex ecclesiasticis pro sacris vestibus arma deferunt, spiritũ nesciunt, carnem fouent eius curam facientes in desiderijs, & bella gerunt, ac si clericorum arma orationes non essent, & lachrymæ. Respice inquam & vide Sanctissime Pater. Quot animas sibi commissas suo malo inficiunt ac interimunt exẽplo, quot quę sibi ex officio competunt perficere dedignantur. Quot pauperes plebeculas suis diabolicis seducunt artibus, in errorem trahunt, & à tramite veritatis diuellunt. Quot ignari ac improbi bonis ditescunt ecclesiasticis doctis ac in Domino proficientibus destitutis. Quot absq; delectu exordinarijs beneficia conferunt, ex quo maxima oriri solet animarum pernicies. Quot recedentes à Deo salutari suo à carnali prudentia deprauantur & mundi amore flagrantes terrenis innituntur. Quot ex sacerdotibus ve-

nalem

nalem Christi sanguinem conficiunt. Quot ex confesso-ribus confitentium potius conscientias maculant quàm abluunt. Quot ex Prædicatoribus quicquid in buccam venit nulla audientium habita ratione & temeritas sugge rit effundũt. Quot in publicis orationibus, aut dum di-uinis intersunt officijs, Deũ potius magis offensum quã placatum reddunt. Quæ omnia in Deum prodeunt, quia plures non resident vigilantes super gregem suum. Vbi est qui contra tyrãnos Ecclesiã animi constantia tueatur, qui inualescente aquilonari hęresi protegat, & qui spiritus feruore ipsam contra tepidos foueat? Vbi sunt, qui hodie discant & doceant legem Christi? qui in regendis plebi-bus, in reprimendis vitijs, in alendis pauperibus, in abu-sibus abscindendis & in laudabili virtutum exercitio se occupent? Rari quippe boni. Apparẽt rari nantes in gur gite vasto. Rara est auis in terris vera probitas. Hinc pau-ci percurrunt arctam viam, quæ ducit ad vitam, vt instar COLVMBÆ in deargentatis virtutum pennis volent & requiescant in domino, qui post humilem sui resignatio-nem est vera quies animæ, quæ in pace in idipsum tunc dormit & requiescit in suaui silentio. Adhæc Beatissime Pater plures Iudeorum Christianos opprimunt suo intol lerabili fœnore & in terris præsertim Ecclesiæ breuibus, vt asserunt, sibi concessis & meritò reuocandis. Quot insuper amicorum Sponsi personam induunt & suis vi-tijs eum in semetipsis adhuc crucifigere non desistunt inq; peius indies proficiẽtes magis destruunt quàm ædificent in Ecclesia, quia canonicè electi nõ canonicè viuunt? Plu res ex animarum curam gerẽtibus legem Christi nesciunt & tẽporalibus potius lucris quàm illarum saluti inhiant.

& terrena magis quam sacros canones pertractant. Nonnulli maiores dignitates ambientes Christi patrimonium in laycorum etiam curijs profundunt sibiq; iam creditas deserunt Ecclesias. Nõ desunt qui castam vitam professi carnis insistentes delitijs ab Asmodeo lutosoq; vitio polluũtur ac mortali culpa multipliciter detinentur. Sunt & qui magis diligũt canes venaticos, phaleratos equos, ornatos currus, regales vestes & referta marsupia, quàm spiritualem sui profectum, animarum salutem & Christi gloriam. Hi sæpe, dum animas in domino fouere tenentur à Christiana rectitudine, à veritate ipsa declinantes rerum varietate trahuntur & diuersis animi affectibus velut arundines vento agitatę à virtute deficiunt. Eos non inuoluã silentio, qui gregem suũ tot exactionibus deglubunt, lites sitiunt, vt pauperes presbiteros expilent, falsis criminibus innocentes impeti permittunt & enormissima dissimulant, quò pecunias congerãt. Illos ex laycis non omittam qui compluribus infecti sceleribus & non mediocri ignorantia laborãtes sacra euoluunt volumina huiusmodi supra vires aggredientes prouinciam, ex quo de facili in hæreses collabũtur. Ad eos id potissimum spectat, qui sacræ Theologiæ scientia prediti corpus & animam ab inordinatis affectibus expurgarunt. Reperitur & qui peccatorũ vulneribus adhibere debet medicamina, ꝙ nõ solum sæpe peccator est sed plusquàm peccator. Inter natos mulierum præterea non surrexit peior generatio, quam huius nostræ tempestatis hæreticorum acies. Ipsi.n. ante faciem Antichristi viam preparant. Nunc ploranti renunciantur Ecclesiæ, quæ vidimus & audiuimus & manus nostrę nõ sine dolore contrectauerunt in Germania. Ibi.n. magna

catholicæ veritatis orthodoxæq; fidei Lilio infertur iniuria. Infœlices insuper sunt, qui honorum allecti dulcedine conscientiæ onere nō inspecto querunt sic tantum quod sibi vtile est & venantur, quòd apud eos sæpe plus fulgēt calcaria quam altaria & magis laycales nitēt parietes quā Ecclesiæ. Hinc te Patrem omnium fidelissimum, vt Amplitudo tua omnibus consulat, humiliter rogatū habeo. Scis quòd nulla est, quam mundus affert, gloria, quòd tēporalis prosperitas multis amaritudinibus respersa est, quòd omnes morimur, & quasi aquæ fluentes super terrā dilabimur, quòd vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & quòd Iudicium horrendum fiet his, qui prçsunt, nisi benè præsint. Orandum est, vt infideles non sint amplius oues errantes, sed conuertantur ad te Pastorem & Episcopum animarum suarum, vt fiat vnum Ouile, & vnus Pastor. Attende a tot falsis prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Hi hæretici sunt, ideo oues tuas mactant & perdūt, nolunt benè operari, & tamen tempus benefaciendi est, ipsi dissipauerunt legem Domini, Euāgelicam, naturalem, diuinorum præceptorum & canonicam. In singulis ciuitatibus operçpretium esse censeo, vt Episcoporum impēsis schola sacrarū literarum ac morum laudabilium cōstituatur, in qua sine personarū acceptione omnes discere volentes non minus rurales quàm ciuiles admittantur. Eorum, qui posthac sunt prædicaturi singulis in prouincijs, à fide dignis & Deum timentibus doctrina & vita diligenter discutiatur. In qualibet Parochia, in qua prçsertim Ecclesiasticæ sunt facultates, adsit festiuis diebus circa necessaria ad salutē omnium instructio, Compluribus Theologis in Cœ-

nobiſs exclamat dominus. Quid hic ſtatis tota die ocio-ſi? Cui reſpõdent. Nemo nos conduxit. In vineam Domini hos operarios pecunialis prouiſio dirigat, ex quo tã laudabilem prouinciam ipſi non ſubeunt charitatis incẽdio. Tot nugigeruli cohibeantur queſtores. Tot mercenarij amoueãtur, qui videntes lupũ venientem fugiunt, & dimittunt oues, quas & ipſi ſæpe hoſtiliter impetunt. Illos falſos paſtores (ſi qui ſunt) arceas, quos meritò ſic alloquitur Dominus. Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod Craſſum erat occidebatis: gregem autẽ meum non paſcebatis: quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum erat, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non queſiſtis &c. Alibi ait Dominus omnipotens. Veh paſtoribus, qui diſperdunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ. Rapacẽ a pluribus Pater ſancte Auaritiæ eiſcias tyrannidem, ne quærant quæ ſua & conſanguineorum ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. Quot compertos habeo turpis lucri cupidos, qui ſua pauperibus dare debentes, tollere ſatagunt aliena? Vis dicam quid ſentiam? Irreuocabili præcepto compellas, vt ad cuſtodiendum gregem ſibi commiſſum abſentes quamprimum ſe conferant, vel iuribus ſuis cædant. Tam in ſpirituali, quàm in temporali regimine fiat hoſpitalium reformatio, quo animabus pauperum corporibusq; conſulatur. Non permittantur tot eorum qui profeſsi, vel profeſſæ ſunt per ſæcularium domos diſcurſiones. Non admittantur ad monialium confeſsionem, & paternam cuſtodiam, niſi diſcreti, ſenes, experti in via Dei, & illuminati Patres. Ad ordines ſacros nullus promoueatur, niſi prius diligenter

discutiatur. Quicquid Petro collatū est potestatis Celsitudini tuæ traditum extitit. Elegit te Deus & pręelegit, vt pręsis & prosis, vt visibilis Ecclesia visibili pastore regatur, sicut credimus quòd ab inuisibili inuisibiliter foueatur. Semper suum Pastorem vniuersalis habebit Ecclesia, vt singula suauius dirigantur. Tuæ Amplitudinis gloria ipso diuino iure ambitum totius terrarum orbis quocūque se extendens amplectitur, vt verè oues Christi pascat & agnos, regat singulos, nulli dominetur, oēs paternè diligat & cum sua omnium salutem promoueat & operetur. Firmitas tua à petra, quæ Christus est, vt à fonte riuulus, deriuatur. Tu es Pastor ouium, vt sub te christianè vitam transigāt. Tu es dominus omnium, sed non ab re Pastor potius & Pater quā dominus appellaris, quia te duce verę doctrinæ pabulum cum securitate gustamus & omnes, vt filios cōplecti debes in visceribus charitatis. Tu es os Domini in his quę sunt fidei, nā te Spiritus veritatis instruit, vt nos omnem doceas veritatem, ne omni vēto doctrinæ fluctuantes vt paruuli circūferamur. Ideo sacrarum literarum nobis sensus enucleas. Tuæ pastorali curæ sic cōmissa sunt sacramenta, q̄ nulli fas est de illis aliter sentire quàm tua Sedes sentiat, quæ est omniū ecclesiarum magistra, Colūna veritatis & christianæ professionis regula. Sicut omnes meritò Principatui tuo subesse tenentur, sic super omnes vigiles, omnibus pro posse proficias Dei iugiter in timore te continens. Eorū saluti consule, qui priuilegio, quod Mare magnū nūcupāt in multis abutūtur. Tam frequenter non fulminari permittas & ex leuibus causis & passim, vt fit, excomunicationes, id enim nil aliud est, quam animas illaqueare. A Domino instituta fuit ex-

communicatio, vt ipsa Ecclesiam audire nolentes ple-ćterentur. Nunc autem pro recuperando cane amisso, aut securi alia ve re modica & prophana fulminatur & obti-netur. Pater sancte vis dicam quid sentiam, & si puluis & cinis sim coram Altitudine tua? Tot symoniacis cõtracti bus, qui, vt his auribus hausi, ex consuetudine vbiq; pro nihilo habentur, silentium & finis imponatur. Longum esset repetere quæ olim de flebili mundi statu ad quẽdam summæ integritatis virum in hæremo adhuc vitam de gentem conscripsi, hinc hic breuitati studeo, quia illud fortè opusculum iam præ manibus habuisti. Cum sub-diti corriguntur eorum potius ad aliorum terrorem quæ ratur emendatio, quã tot pecuniarum exactio: vel si ob qualitatem criminum exiguntur, in pios vsus manifestè distribuãtur, ne ad superiorum cupiditatem magis quam subditorum correctionem exactæ videantur. Seruentur canones & puniãtur iuxta eorum tenorem qui illos vio-lant vitioq; deseruiunt. Omni diligentia sacra ministren-tur, ne eorum impediatur effectus. Pro comperto habeo, quòd in multis diocesibus raro confirmationis sacramen tum, vel nũquam confertur, quod quàm impium sit Bea-titudinis tuæ sit iudicium. Mercaturis & seruilibus ope-ribus, emporijs & nundinis pluribus in locis festiuis die-bus insistitur, in quibus etiam integræ saltem missæ non audiuntur. Ad salutem necessaria per animarum rectores non publicantur. Choreæ peccatis refertæ à ruralibus fiunt & multa alia, quæ in Dei contemptum eorumq; sa-lutis detrimentum redeunt. Ad animarum curam tantum admittantnr, qui continẽtes, docti probatæq; vitæ ac do-ćtrinæ conspiciuntur, qui inquam errantes oues ad ouile

ouium

ouium reducere non desinũt, qui iugiter se in timore domini continent, qui misericordes, ferventes, deuoti & benigni discretione refulgent & qui deniq; Dei honorem animarumq; salutem sitiunt. Singulis annis dioceses à proprio Pastore visitentur, vt lupos arceant, ouibus consulant & diuinum cultum promoueant. Sed ne tam Prudentissimæ Sãctitati tuę legem imponere eamq; instruere videar, hoc vnum proferã. Hæreticos viriliter insectetur, euellat & destruat quicquid contra catholicam veritatem moliuntur. Tot abusus abscindat & flagitia, quæ tam apertè animas inficiunt. Infideles orationibus verbo & exemplo ad agnitionem veri luminis alliciat. Adhæc Celsitudo tua bonum opus operabitur, si hoc me inutilem Christi seruum fauore prosequetur, vt quod in meo spiritali Testamento christianorum singulis reliqui, operibus exequãtur, ex quibus omnibus immortalem gloriam consequetur. Magnum quippe onus suis imminet ceruicibus sed non expauescat Maiestas tua, quia si feruenter ministrauerit, viriliter egerit & veræ charitatis ardore succensa humiliter se gesserit inter illos laudabiles confessores nunc supernæ fœlicitatis comprehensores magnum habebit & præmium, vtq; COLVMBA in pennis deargentatis & palore auri volabit & requiescet cũ Optimo Põtificẽ, qui vocatus ad regnũ fugit & quesitus ad crucẽ se obtulit. Intueatur Celsitudo tua eos, qui in Sede Petri sancti tam sublimes extiterunt & eos imitari illisq; quibus præest verbo & exemplo proficere studeat, vt ad vitam vnà con grege sibi credito perueniat sempiternam.

Omnipotens sempiterne Deus, qui terrena simul & cœlestia moderaris, te nos omnes catholici suppliciter exo-

ramus, vt Pium .IIII. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ esse voluisti secundum tuam clementiam clementem dirigas in viam salutis æternæ, vt te donante tibi placida cupiat & tota virtute ac mente perficiat, quò Ecclesia tua eodem rectore diu fœliciterq; gubernetur, quem operis tui Vicarium eidem voluisti in terris præesse Pastorem. Sicut eum Pontificalis gloriæ culmine sublimasti, sic eundem concedas virtutum omnium splendore decorari, spiritalis COLVMBÆ proprietatibus fulgere & vera non minus re quàm nomine Sanctitate clarescere. Sic eum hominem secundum cor tuum reddere digneris, vt suo nos omnes exemplo ad te ducere mereatur, vt inquam contra hæreticos victor existens & virtute animi sæculi abusus homi numq; iniquitates irrumpens Pontificatus gubernacula inculpabiliter teneat, christianam rempublicam augeat, venerabilem religionem perfecta charitate promoueat, cunctas hæreses eliminans Orthodoxam fidem in hominum cordibus roboret, vitia euellat & destruat, virtutes plantet ac ædificet & demũ sicut COLVMBA in pennis deargentatis virtutum omnium volet & requiescat nobiscum sibi creditis in cœlesti patria. Infunde insuper dulcissime Deus, qui omnia suauiter disponis, famulis tuis in sacro existentibus Concilio, vt quę tibi placida sunt in lumine tuo realiter agnoscant, & agnita feruẽter exequantur, vt quæ recta sunt veraciter intelligant, fiducialiter eloquantur & vndecunq; prolatam diligant veritatem & presta, vt hostes catholicæ professionis, qui in sua feritate confidunt, dexterę tuæ potentia conterantur & sic Ecclesia tua secura tibi seruiat libertate, in tuaq; iugiter laude sit feruens post firmam tranquillitatem pacis & fidei pro tui

sancti

ſancti nominis gloria. Angeli Dei vos rogatos velim, vt Angelum cleri aſſiduc cuſtodiatis in omnibus vijs ſuis, vt Pio.IIII. faucatis in omnibus operibus eius & vt tam Clementem Pontificem dirigatis ad ſupernam gloriam. Sæpes Militantis Eccleſiæ veſtra eſt cuſtodia. Ad hominum ſic eſtis curam delegati, vt faciem Dei viuentis nunquam intueri deſiſtatis eidem orationes noſtras in ſpiritus feruore, cordis humilitate fideiq; lumine emiſſas offerentes & gaudentes ſuper quolibet peccatore pœnitentiã agente. Orate indeſinenter pro nobis, vt vobiſcum ſimus in cœlis hęredes Dei, cohęredes Chriſti & conciues ſanctorum veſtro coniuncti conſortio, ſicut nunc ſub veſtra cuſtodia tamquã ſub tutoribus vitã degimus. Vos clarè conſpicitis, quòd in pluribus virtutes collabũtur, diuinus cultus negligitur, vitia ex conſuetudine pro nihilo habentur. Vigent hęreſes. Infideles inſurgunt vndiq;, à multis Deus non timetur, nec cum proximo verè diligitur, quia ferè omnes ita querunt quæ ſua ſunt, vt ſe inuicem ſæpe decipiant. Nobis aſſiſtitis in ſpiritali certamine, vt vincamus, ſemper ſubuenitis, ne deficiamus in diuinis obſequijs, ſemper ſolamini, ne nos mũdi amaritudo conficiat, ſemper excitatis, vt ſpiritalem con demone ac vitijs congreſſum viriliter incamus. Ago vobis gratias de tam grandi munere. Vos omnes iuſtiſſimam diligendi Dominum Ieſum cauſam habere conſpicio. Diligite ergo eum vos omnes angeli eius potentes virtute & facientes verbum illius. Ipſum benedicite & laudate, vt ſoletis, ardenter, quia Magnus Dominus eſt & laudabilis nimis. Ex nobis illi vos lætificant, qui inter cęteros charitate præcellunt, humilitate pollent, fulgent obedientia, ſui perfectam cru-

cifixionem veramq; Christi imitationem humiliter profitentur, proximum ædificant, carnem domant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cœlestibus inhiant & vetustatem terrestris Adæ pœnitus exuentes vitæ nouitatem induunt, ex quò Christus nouus homo mandato nouo fecit nouum hominem. Tales vt omnes simus vestris iugiter intercessionibus efficite & vbiq; protectores estote Summi Pontificis (cui, cum omnes iure & meritò in domino laudes conueniant, nullus laudibus, vt sacri Doctores asserunt, adulari conuincitur) quò nostræ fidei hostibus diuina virtute compressis in omnibus catholica veritas effulgeat & Christiana libertas per Christum dominum nostrum. Amen.

FINIS.

MEDIOLANI
EXCVSSVM PER VINCENTIVM
GIRARDONVM ANNO
DOMINI. M. D. LXII.
Die XIIII. Martij.
PRO CHRISTI GLORIA.

SENATVS PERMISIT. M. D. LXII.
Die .II. Martij (quantum in se est) Vt
hæc COLVMBA Animę imprimeretur.

Franc, Petranigra.

FINIS.

MEDIOLANI

EXCVSSVM PER VINCENTIVM

[illegible] ANNO

[illegible]

[illegible] GLORIA.

[illegible]